PLUVIA, DILUVIO.

A Anno 1656. Diluvium Noe, anno ætatis ejus 600. contigit. Et quidem menſis.

Secundi Elul die 10 ingreditur Arcam cum animantibus. *Geneſ.* 7. Die 17. initium Diluvii.

Tertii die 27. finis pluviæ, poſt dies 40.

Septimi primi die 97. cœperunt minui aquæ poſt dies 150. Die 27. requievit arca ſuper montes Armeniæ. *Geneſ.* 8.

Decimi die primo apparuerunt cacumina montium. *Gen.* 8. XI. die 12 cùm tranſiſſent dies 40. emiſit Noe corvum, qui reverſus eſt. *Gen.* 8. Die 19. emiſit columbam, quæ reverſa eſt. *Gen.* 8. Die 26. emiſit columbam iterùm, quæ frondem olivæ reportavit. *Gen.* 8.

XII. Thamuz die 3. rurſus emiſſa columba non eſt reverſa.

Anno 1657 Mundi, qui primus eſt à Diluvio Menſis.

Primi die prima excitata eſt ſuperficies terræ. *Gen.* 8.

Secundi die 26. arefacta terra, exiit Noe ex arca.

Diluvium in Achaja accidit tempore regis Ogygis anno M. 2190. *Oroſ. lib.* 1. *c.* 2.

B Diluvium, Deucalione regnante in Theſſalia, anno M. 2436. Diluvii 780.

Diluvium particulare in Brabantia, Hollandia, & Zelandia multa millia hominum abſumpſit, menſe Novembris, anno 1530. *Hiſt. Fronſp.*

SICCITATE.

Annus 1159. quo Fridericus I. Imp. Mediolanum ſubegit, ſiccitate inſignis fuit. Nam cùm à Cal. Maiis uſque ad exitum ſequentis Aprilis cœleſtes aquæ nullæ fuiſſent, putei ipſi vix media hyeme aliquid humoris ſuppeditarunt. *Sigonius lib.* 12. *regni Ital.*

Anno 1439. in Italia ab exitu Junii uſque ad 7. Idus Decembris nullus ne minimus quidem imber terras perfudit, torrentes, & fontes exaruere, neque tamen agrorum ſterilitas ulla ob id ſecuta eſt. *Bracellus l.* 1. *belli Hiſpanici.*

GRANDINE.

An. 1395. menſe Auguſto, circa Aſſumptionem divæ Mariæ, in Saxonia cecidit grando, humanæ faciei præferens imaginem: quod prodigii habuere loco homines ſuperſtitioſi.

C Diſcrevere in glacie faciem viri, ac mulieres: barbara virorum, feminarum verò criſpantibus involuta peplis imago, in grandine cernebatur. Fidem fecere viri probati, qui manibus tenuere mirantes. *Crantz. lib.* 9. *Vand. c.* 32.

ANNONÆ TUM FERTILITATE.

L. Opimio conſule, cùm C. Gracchus Tribunus plebem ſeditionibus agitans interemptus eſt, ea cœli temperies fulſit, quàm coacturam vocant, ſolis opere, natali Urbis M. C. XXXIV. Itaque fuit omnium vini generum ſumma bonitas. Durantque adhuc vina CC. ferè annis, jam in ſpeciem redacta mellis aſperi. *Plin. lib.* 14. *c.* 4.

In Italia anno Urbis 702. Cn. Pompejo Magno III. ſolo conſule, tantus fuit olei proventus, ut Provinciis quoque miſerint. *Plin. l.* 15. *c.* 1. *& Plut. in Pompejo.*

Quo anno Mater deorum è Peſſinunte Romam advecta eſt, major ea æſtate, quam antecedentibus annis decem facta eſt annona. Cùm L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephantos, aſſibus ſingulis farris modius; vini congius, fici ſiccæ pondo 30. olei pondo 10. carnis pondo 12. veniere.

D *Plin. lib.* 18. *c.* 3. *ex Varrone.*

Eo anno, quo Attila Hunnorum rex Aureliam obſedit, tanta frumenti copia exuberavit, ut non ſolùm periculo hoſtili, ſed fame urbem mirè Deus liberaſſe videretur. *Bonfin. l.* 4. *Dec.* 1.

Annus Sal. 568. quo Longobardi Italiam invaſerunt, inſigni rerum, quas terra fert, omnium ubertate lætiſſimus fuit, ipſa veluti natura opes ſuas ad novos excipiendos hoſpites pendente. *Sigon. lib.* 1. *regni Italici.*

Circa annum Chriſti 663. ignis maximo omnium terrore dies decem in cœlo emicuit: incubuere mox imbres uſque adeò ſævi, & ita horrenda, frequentiaque fulmina, ut homines juxta, ac pecora de cœlo tacta caderent. Eo anno tanta leguminum copia ſucceſſit, ut legi omninò nequiverint: quæ autem neglecta fuerant, ultrò renata ad maturitatem pervenere: *Bonfin. lib.* 6. *Dec.* 1.

Sub Leone Iſauro in Campania frumentum combuſtum, & hordeum, & legumina quaſi pluvia de cœlo ceciderunt, anno Leonis quinto, Domini verò 722. *Sigebert.* Secuta eſt Saxonum ad fidem Chriſti converſio, & magna omnium frugum ubertas. *Schafnaburgenſis in Chronico, & Ant. tit.* 13. *c.* 1.

Anno 1069. & ſequenti, ſylveſtrium arborum ſterilitas duravit: ſed vinearum tanta fertilitas fuit, ut præ multitudine vindemia vix colligi poſſet. *Schafnaburgenſis.* E

Sub Friderico Barbaroſſa Imp. tanta fuit annonæ copia in Germania, ut vino calx in murorum uſum reſtingueretur. *Stumpf.*

Anno 1334. in Polonia, viceſimatertia die Aprilis, ingens nix decidit. Quæ cùm quinque dies duraſſet, præter omnium exſpectationem ſingularem fertilitatem agris attulit. *Cromerus lib.* 12.

Anno Chriſti 1353. cùm Martius, Aprilis, & Majus ultra medium verno, ac penè æſtivo calore ad calamos, & ariſtas ſegetes perduxiſſent, coorto de repentè acri frigore & gelu, nix duos cubitos alta terram operuit in Polonia, & in ſextum uſque diem duravit. Qua ſoluta poſteà, cùm corruptas eſſe ſegetes omnes exiſtimarent, tanta præter ſpem ubertas frugum, quanta vix unquam aliàs fuit. *Cromerus lib.* 12.

An. D. 1484. tanta vini copia paſſim fuit, ut muſtum doliis permutaretur, multi etiam illud noctu Tiguri effunderent, alii loco aquæ in faciendo cæmento uterentur. *Stumpfius.* Idipſum noſtra quoque ætate an. 1584. accidit. F

Anno 1540. annus fertiliſſ. æſtu inſignis, ut etiamnum hodie æſtatis ferventis nomine appelletur. Præceſſerant autem Cometæ duo terribiles, alter 38. alter 39. anno. *Stumpfius.*

STERILITATE, FAME.

☞ *Ex ſeq. Annis, Frigore, Æſtu, Pluvia nobilibus.*

An. Diluvii 434. fames univerſalis ſuper terram. Abraham cum familia in Ægyptum deſcendit.

Fames magna prædicta ab Agabo, Act. 11. cœpit, anno 4. Claudii Imp. Chriſti 44. ab V. C. 791.

REGNORUM, REIPUBLICÆ ORTU.

Aſſyriorum regnum à Belo cœpit, anno M. 1841. poſt Diluvium 185. Duravit an. 1300. uſque ad exitum Sardanapali, qui ab Arbace Medo victus eſt, an. M. 3144. Deinceps Aſſyriorum regnum ab Arbace.

Trojanorum regnum à Dardano cœpit, An. Dil. 483.

Iſraelitarum regnum à Saule cœpit, an. Exitus 436.

Argivorum Inachus primus rex an. Dil. 479. *Euſebius.* G

Sicyoniorum regnum inter Græca vetuſtiſſ. cœpit anno M. 1902. Diluvii 246. Duravit an. 862. vel 972. Defecit in Zeuſippo an. M. 2832.

Athenienſium regnum Cecrops auſpicatur, an. Dil. 749.

Francorum regnum Pharamundus an. D. 419.

Longobardi Italiam occupavere an. D. 568. 4. Non. Aprilis, eamque annis 206. ſub 24. regibus tenuere totum, præter Urbem. *Onuphrius.*

An. D. 1200. Tartarorum dominium cœpit. *Mart. Polon.*

RESTITUTIONE.

ARTOXERXES Perſarum rex Artabanum Parthorum regem obtruncavit, & regnum Perſis reſtituit, anno M. 4192. Chriſti 2217. *Agathius lib.* 4.

INVASIONE, OCCUPATIONE.

An. M. 3349. dum Cyaxares Medorum rex Ninum urbem Aſſyriorum obſidet, Scythæ ſupervenientes Aſiæ imperio potiti ſunt annis 28. *Herod.*

Regnum de Juda ad alienigenam Herodem Aſcalonitam translatum an. M. 3928. ab V. C. 713. Olymp. 184. an. 4. *Joſephus lib.* 14. *Antiq. c.* 23. H

Anno Sal. 261. Galieno imperante, 30. tyranni diverſis locis & regionibus emerſerunt, an. V. C. 1012. per annos ferè 12. ab Aureliano vix tandem domiti. *Onuphrius.*

Anno 406. tertia Barbarorum in Occidentem eſt facta impreſſio: qua Gallia primùm deinde Hiſpania, poſtremò Africa occupatæ, atque omni genere calamitatis afflictæ ſunt. Godigiſilus rex Vandalorum, qui in Scythia ad Mæotidem erant, exemplo Radagaiſi adductus, ubi Italiam hoſtium plenam, atque Honorium in Radagaiſum averſum ſenſit, & ipſi ſibi Galliam invadendam conſtituit, ratus, haudquaquam eandem in Provinciis fortunam fore, quæ longè à regio abeſſent auxilio, atque in Italia, ducente Alarico, fuiſſet, quæ propter Imperatoris præſentiam vinci non potuiſſet. Itaque ex Scythia cum Vandalis & Alanis egreſſus, ſimul Quados ex Sarmatia, Vandalos ex Pannonia olim ibi à Conſtantino locatos aſſumpſit: inde trans Danubium ſeſe continens, ex Sarmatia in Germaniam iniit, eamque peragrans, populos, ſive metu direptionis peculſos, ſive ſpe prædæ illectos, ſecum adduxit, Marcomannos, Herulos, Turcilingos, Suevos, Alemannos, Sa-

xones, & Burgundiones: ac citato agmine, nemine reſiſtente;

A recto itinere uſque ad Rhenum proceſſit. Ibi verò Franci denique occurrerunt, ac tranſitum impedire conati ſunt, ſive, ut fœdus proximè cum Stilicone ictum ſervarent, ſive ne tantum hoſtium in Provinciam eam admitterent, cui ipſi jampridem inhiantibus animis imminerent. Verùm à Vandalis multitudine ſuperantibus pulſi, haud magno momento ceſſerunt. Ita Vandali ſine impedimento prid. Cal. Jan. teſte Proſpero: trajecto Rheno, in Galliam penetrarunt: atque anno ſeq. proximas Rheno provincias Germaniam primam, & Belgicam ſecundam ingreſſi, latè victoriam exercuerunt. Moguntiacum multis hominum millibus in Eccleſia trucidatis, everſum eſt. Vangiones diù obſeſſi in ditionem adducti. Rhemi, Ambiani, Attrebates, Morini, Tornacum, Nemetes, Argentoratumque direpta ſunt. *Sigon. lib.* 10. *Imp. Ital. ex Jornande.*

Perſarum regnum Saraceni occuparunt, cæſo eorum rege Mahumeto per Mucaletum, qui rex Perſiæ declaratus, & Sultanus appellatus, anno Sal. 870. *Cedr.*

Helvetii (Sigiſmundi Cæſaris permiſſu, Concilii Conſtan-

B tienſis juſſu) Auſtriacos invaſerunt, atque comitatum Badenſem cum Ergovia occupaverunt, 1415. menſe Aprili. *Stumpfius lib.* 13.

Deſtructione, Interitu.

Regnum Judæorum à Saule ad ultimum Sedechiam floruit annis 505.

Annos 520. Aſſyrii tenuerunt Aſiam: poſteà Medi eam occuparunt, illis excuſſis.

Annos 490. regnum Athenienſium duravit, à Cecrope ad Codrum.

Totidem annos Lacedæmonum Reſpub. duravit à Lycurgo, qui eam formam reipub. primus conſtituit, & Spartanas tulit leges ad Alexandri ætatem, ſub quo concidit.

Perſica Monarchia, quæ conſtituta eſt à Cyro capta Babylone, duravit annis 208.

Græca, quæ cœpit cùm Alexander vicit ultimùm Darium, duravit annis 283. Ita hæ duæ Monarchiæ annos 491. compleverunt.

Annos 430. Æneæ poſteritas dominata eſt Albæ, quibus

C exactis; condita eſt, & crevit Roma.

Ἀριστοκρατεία, quam poſt exactos reges Brutus inſtituit Romæ, in qua Conſules Remp. adminiſtrarunt, duravit anno 460.

C. JUL. CÆSARIS Monarchia, quam ſibi confirmavit, oppreſſa republica, & conſulari poteſtate, duravit annos 502. Hinc capta eſt, & horribiliter vaſtata Italia, à Genſerico Vandalorum rege: mox ſequuti ſunt Gothi, qui Italiam ab Imperio Romano avulſam, & occupatam duriter afflixerunt.

AUGUSTUS ab Odoacro Herulorum rege coactus abdicavit, anno 476. 10. Cal. Septemb. Odoacrum Theodericus Oſtrogothus, anno Domini 493. III. Non. Martii interfecit *Onuphrius.*

CONSTANTINUS MAGNUS ſedem Imperii Conſtantinopolim tranſtulit, relicta Italia, annis elapſis 489. Hinc Carolus Magnus victis, & domitis Longobardis, Imperium Occidentale in libertatem aſſeruit, & inſtauravit Romam, anno Domini 805.

MAGISTRATUUM MULCTATIONE.

D Primus annus poſt exactos Reges Romæ quinque Conſules habuit. Nam primus conſul L. Brutus cum L. Tarquinio Collatino creatus, eundem propter affinitatem regiam Magiſtratu depulit, P. Val. Poplicola ſuffecto: ipſe contra reges pugnans occubuit. Succeſſor datus Lucretius, antequam magiſtratu abiret, morbo periit. *D. Auguſt. de Civit. Dei, lib.* 3. *cap.* 16.

URBIUM ORTU.

Rhodus à Telchinibus condita anno Diluvii 601.

Sparta à Sparto Phoronei F. anno à Diluvio 613.

Memphis, anno à Diluvio 703.

Dardania, quæ poſt Troja, à Dardano ædificata, an. 2484. ab Exitu 30. *Euſebius.*

Ephyra, poſt Corinthus, anno mundi 2552. ab Exitu 98 à Siſypho condita: inde ampliata & firmata ab Alethe, anno ab Exitu 417.

Carthago à Didone, anno Mundi 3078. Templi 144. *Joſephus.* At ex *Dion. Halic.* circa annum Mundi 3155. primùm condita videtur.

Roma condita, anno M. 3216. Olymp. 6. an. 4. poſt Ilium everſum anno 432. E

Alexandria condita an. M. 3641. Olymp. 113. an. 1. *Livius.*

Conſtantinopolis à Conſtantino Magno dedicata, anno Sal. 332. 11. Cal. Maii *Zonaras.*

Venetiæ condi cœptæ, 9. Cal. April. anno Dom. 430.

OPPRESSIONE, DIREPTIONE.

☞ *Conſule locum Fortuitum, de Urbium expugnatione, quatenus tempus expreſſum habent.*

Hieroſolyma ab Antiocho capta, anno Seleucidarum 145. Olymp. 153. die 15. menſis Chisleu, quem Appellæum dicunt Macedones. *Joſeph. lib.* 12. *cap.* 6. *Antiq.* Die 25. aram abominando idolo profanavit. 1. *Machab.* 1. Bella Machabæorum contra Anthiochum. Eandem cœpit Herodes rex Olymp. 185. anno 3. (qui idem Sabbatinus erat Judæis. *Joſeph. lib.* 14. *cap.* 26.) menſis quarti die 17. qui dies erat Jejunii legalis, ob factas in Sina tabulas inſtituti. Inde capta à Veſpaſiano Azymorum feſto, an. Sal. 69. *Euſebius.* Rurſus à Saracenis poſt biennalem obſidionem capta, & vaſtata. anno D. 6. 38. *Sigebertus.* F

Menſe 6. Antheſterione, anno 28. belli Peloponneſiaci, Olymp. 94. anno 1. Lyſander Athenas cepit. Xenophon, Earundem muri diruti à Lyſandro 16. Munychionis, an. 4. Olymp. 93. *Plut. & Diod.*

Carthago à Genſerico Vandalo capta. an. D. 439. 14. Cal. Novemb. *Proſper.*

Roma à Gothis capta, 9. Cal. Sept. an. 410. *Onuphrius* Iterùm à Genſerico Vandalo, an. D. 455. Prid. Id Junii.

Ravenna à Longobardis capta, & Exarchatus Græcus ex Italia ſublatus, an. D. 751.

Anno D. 1204. capta à Latinis Conſtantinopolis, 12. April. *Nicetas.*

INTERITU, EVERSIONE.

Trojæ anno excidium ab Exitu 310. octava deficientis Thargelionis. *Dion. Halic. lib.* 1. *Plut. in vitis.* D. 23. Thargelionis. *Plin. lib.* 18. *c.* 28. ad 8. Cal. Quint.

Thebæ everſæ ab Alexandro Magno, an. 2. Olymp. 111. *Plut. in Camillo.*

Carthago everſa, cùm ſtetiſſet annos 667. an. 2. Olymp. 158. G ad V. C. 606. *Vellejus.*

Corinthus deleta à L. Mummio Achaico poſt an. 952. ſui ortus. *Vellejus.*

* Terrevana, quæ Morinorum civitas, deleta à Carolo V. Imperatore anno 2553. cujus Chronicon. *De Let. I. Mor. in I.*

TEMPLORUM ORTU.

Templum Domini cœptum à Salomone, an. 480. Exitus. 3. *Reg.* 6. Deſtructum à Nabuchodonoſore, poſt annos 422.

Poſt captivitatem Babylonicam, anno M. 3446. a Nehemia ſecundum Templum fundatum eſt, in menſe Zio: & in anno 11. menſe Bul (ipſe menſis octavus) perfecta eſt domus Domini in omni opere ſuo. 3. *Reg.* 6. Stetit uſque ad Chriſtum annos 560.

Templum Herodes extruere cœpit, an. M. 3948. Olymp. 190. anno 1. regni ſui 18. & octavo anno perfecit. *Joſeph. lib.* 15. *Antiq. c.* 14.

PROFANATIONE, EXPIATIONE.

Templum Hieroſolymitanum die 25. menſis Chisleu ab Antiocho rege profanatum, an. Seleucidarum 145. ſed quinquennio poſt die eodem à Juda Machabæo repurgatum. 1. *Machab.* 1. & 4. H

Templa Chriſtianorum in diebus Paſchatis à Diocletiano ſubverſa, 305. *Scotus lib.* 2.

INTERITU.

Templum Delphicum exuſtum, an. 1. Olymp. 58. *Pauſan.*

Tenacitas.

* Tentatio.

☞ *Vide Avaritia.*

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

TEntatio Græcè πειρασμὸς in ſuo generali, eſt dictum, vel factum ad capiendum de aliquo experimentum, ut ſciatur illius potentia, ſapientia, bonitas, voluntas, &c. Neque tantùm dicitur quis tentare, dum id facit, ut ipſe ſciat, ſed etiam quando aliorum cauſa, quomodo Deus tentavit Abraham, & alios, ut etiam faceret mundo manifeſtam illorum virtutem, & in exemplum illos proponeret. Generaliſſimè itaque

tentare, eſt periculum facere de aliquo. Quomodo homines A Deum tentant, dum abſque cauſa juſta capiunt experimentum potentiæ, & voluntatis, aut alterius attributi illius. Hebraicè tentatio dicitur Maſſah. & derivari volunt à teneo, vel tendo.

Aliquando tentare eſt ad malum incitare. Inde enim capitur experimentum virtutis, vel vitioſitatis hominis, quomodo diabolus, & concupiſcentia dicuntur hominem tentare: & Deus dicitur Intentator malorum, ἀπείρασος κακῶν, & neminem tentare. *Jacob.*1. proprium autem diaboli nomen eſt eſſe tentatorem. Unde Evangeliſta dum de illo Chriſtum tentante in deſerto loquitur. Accedens ait tentator, *Matth. cap.* 4. & Petrus, adverſarius, inquit, veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret. *Epiſt.* 1. *c.* 5. Exemplis res tota manifeſtior reddetur.

DE TENTATIONE, QUA DEUS TENTAT: ID EST PROBAT HOMINES.

Quam verùm ſit illud *Eccleſ. c.* 2. Fili accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem, conſtat ex B Deuteronomio, ubi cùm Iſraelitas variis calamitatibus afflixiſſet Deus, eos conſolatur Moyſes, Tentat vos Deus veſter, inquit, ut palàm fiat, utrùm diligatis eum *cap.* 13. Ideòque de Juſtis omnibus Sapiens pronuntiat, Quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe, *cap.* 3. Siquidem Deus tentat, ut probet, non ut fallat, aut plectat, quod Diaboli eſt proprium. Quin etiam fidelis eſt, qui non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, id eſt ſupra vires, omnibus enim cum invocantibus Deus id concedit, nè ſupra vires tententur. Quia impoſſibilia non jubet, inquit Auguſtinus *l. de nat. & gratia c.*43. Sed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quòd non poſſis, & adjuvat ut poſſis. Si enim jumentis ſuis homines non plus oneris imponant, quàm valeant ferre, multò minus id hominibus faciet Deus, ait S. Ephrem *tract. de patient.* Igitur ut iterùm Apoſtolus, Deus facit cum tentatione proventum, ut poſſimus ſuſtinere. 1. *Corinth. cap.* 10. id eſt, facit, ut tentatio nobis bene eveniat, nempe ad gloriam, & ſalutem. Unde notant S. Patres hominem maximè progredi in via virtutis per tentationem. Ad magnam utilitatem fide- C lium ait Proſper *l.* 1. *de vocat. gent.* materia eſt ſervata certantium, ut non ſuperbiat ſanctitas, dum pulſatur infirmitas. Pleraſque tentationum utilitates infrà adducemus.

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum. Tolle filium tuum. *Gen.*22.

Dixit Dominus ad Moyſen. Ecce ego pluam vobis panes de cœlo: egrediatur populus, & colligat, &c. ſequitur, ut tentem eum, utrùm ambulet in lege mea, vel non. *Exod.* 16.

Loquente Domino cum Moyſe, cunctus populus audiebat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumigantem, & perterriti, ac pavore perculſi dixerunt Moyſi: Loquere tu nobis, &c. & ait Moyſes. Nolite timere, ut enim probaret vos, venit Deus, & ut terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis. *Exod.*20.

Non delevit dominus penitus Gentes omnes de terra promiſſionis, ut in ipſis experiretur Iſrael, utrùm cuſtodiret ejus mandata. *Judic.* 2.

Dereliquit dominus Ezechiam, ut tentaretur; & nota fie- D rent omnia, quæ erant in corde ejus, quando venerant nuntii regis Babylonis ad eum. 2. *Reg.* 20.33.

Poſtquam Tobias fuerat excæcatus, dicitur ibi: Hanc autem tentationem ideò Deus fieri permiſit, ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus. *Tob.* 2.

Dixit Judith loquens de filiis Iſrael, quos illo tempore Holofernes deſtruere cogitabat. Memores eſſe deberent, quia tentati ſunt patres noſtri, ut probarentur, ſi verè colerent Deũ. *Jud.*18.

Propter graviſſimas tribulationes, quas paſſus eſt Job, ipſe dicebat de ſeipſo; Probavit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit. *Job.* 23.

Petebat David à domino dicens. Proba me, domine, & tenta me. Domine prob. &c. *Pſal.* 25. & 138.

Ambulans dominus Jeſus ſuper aquas juſſit Petrum venire ad ſe. Videns autem ventum validum timuit. *Marc.* 14.

Dixit Dominus ad Philippum: unde ememus panes, ut hi manducent? hoc autem dicebat tentans eum. *Joan.* 6.

Omne gaudium exiſtimate, fratres, cùm in varias tentationes, &c. *Jacob.* 1.

Petrus ait, Modicum nunc ſic oportet contriſtari in variis tentationibus, ut probatio veſtræ fidei multò pretioſior ſit E auro, quòd perit, per ignem autem probatur, inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in revelationem Jeſu Chriſti, &c. *Pet.* 1.

Idem. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis, 1. *Pet.* 4.

DE TENTATIONE, QUA HOMO TENTAT DEUM.

Diximus verbo, Tentationem Dei eam eſſe, quando homo abſque juſta cauſa aliquid dicit, vel facit, ad capiendum experimentum divinæ potentiæ, juſtitiæ, &c. experimentum voco omne opus, vel auxilium Dei, ſupra communem rerum ordinem præſtitum, quo ejus juſtitia, ſapientia, potentia, quaſi experiendo cognoſcitur. Debet namque hoc à Deo peti, vel exſpectari. Unde hujus rei malitia conſiſtit in irreverentia, quàm Deo facit, dum aliquod auxilium extraordinarium ab eo petitur, aut exſpectatur. Vult enim Deus cauſas naturales adhiberi prout nunc ſunt inſtitutæ, earumque ordinem abſque juſta neceſſitate non vult prætermittere. Unde mirum non F eſt, Deum ita ſe tentantes nonnunquam punire.

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Multoties tentaverunt Dominum filii Iſrael in deſerto. *Pſal.*77.94.105. *Exod.*17. *Num.*11. & 14.

Superati in bello filii Iſrael à Philiſtæis dixerunt. Quare percuſſit nos Deus coram Philiſtiim! & duxerunt ſecum arcam Domini ad prælium, quæ capta fuit, & illi magna plaga percuſſi. 1. *Reg.*4.

Sciebat David, ſe eſſe unctum in regem, & quod deberet regnare poſt Saul, juxta id, quod promiſerat Samuel, non tamen committebat ſe diſcrimini tentans Deum, ſed faciebat ad ſui cuſtodiam, quid poterat. 1. *Reg.*2.

Cùm magnus piſcis invaſiſſet Tobiam, non expectavit, quòd Angelus eum liberaret, qui tamen velociter hoc facere potuiſſet: ſed apprehendit brachium ejus, & traxit eum in ſicuum. *Tob.*6.

Ozias ſtatuit cum populo, ut tranſactis quinque diebus, G niſi veniret adjutorium, traderent ſe Holoferni. Dixit autem Judith presbyteris civitatis: Et qui eſtis vos, qui tentatis dominum? Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam provocet. *Judith.*8.

Tentatus Dominus à diabolo, ut ipſe ſe pinnaculo Templi præcipitaret, reſpondit: Non tentabis Dominum Deum tuum: poterat enim aliter deſcendere. *Matth.*4. *Luc.*4.

Phariſæi volentes capere Jeſum in ſermone, fecerunt ab eo quæri, utrùm liceret dare tributa Cæſari, an non. Cognita Jeſus nequitia, ait. Quid me tentatis, Hypocritæ, &c. *Matth.*21.

Cùm ejeciſſet dæmonium dominus, & loqueretur mutus, Quidam tentantes ſignum de cœlo quærebant ab eo. *Luc.* 11.

Dure increpando dixit Petrus Saphyræ uxori Ananiæ: Quid conſpiratis inter vos, ut tentaretis ſpiritum domini? *Act.* 5.

De re, quam Paulus potuit per humanam induſtriam facere, nolebat miracula expectare. Unde apud Damaſcum cùm inſidiarentur ei Judæi, fecit ſe per murum in ſporta dimitti. *Actor.*9.

Item cum aſtrictum loris vellet tribunus eum facere torqueri, dixit ſe eſſe civem Romanum, rurſum dixit ſe eſſe Phari- H ſæum, ut poneret diſſenſionem inter Judæos, & cùm haberet iniquum judicem, Cæſarem appellavit. *Act.*21.23. & 25.

DE TENTATIONE, QUA DÆMON TENTAT.

Docet nos Scriptura divina, non ſolùm Chriſtianis eſſe colluctationem adversùs carnem, & ſanguinem, id eſt, ſecundùm *S. Hier.* homines carne, & ſanguine conſtantes: Sed adversùs Principes, & poteſtates, hoc eſt, dæmones illos, qui ante lapſum fuerunt in ordine Angelorum, qui Principes, & Poteſtates appellantur. Unde patet, Dæmones poſt lapſum ſervare ordinem hierarchicum, quem ante habuerunt: Adversùs mundi rectores tenebrarum harum, κοσμοκράτορας non abſolutè, ſed cum reſtrictione ait S. Auguſt. tenebrarum harum, id eſt, mundi hujus tenebricoſi, & aerei. Sive ut iterùm Auguſt. *In Pſal.* 54. vocat dæmones rectores Mundi, hoc eſt amarorum mundi impiorum, & iniquorum mundi, de quo in Evangelio, & mundus eum non cognovit, addit Apoſtolus contra ſpiritualis nequitiæ in cæleſtibus, hoc eſt ſecundùm S. Hieron. contra ſpirituales nequitias in his locis aereis. *ad Epheſ. c.* 6.

Expendens

Expendens hunc locum *Ambroſius comm. in Luc. l.*4. *cap.*4. A Vides, ait, magnificentiam hominis Chriſtiani, qui certat cum Rectoribus mundi: & licèt in terris conſtitutus, adversùs ſpiritalia nequitiæ, quæ ſunt in cœleſtibus, animi virtute decertat.

* TENTATIONUM ILLECEBRÆ.

Varias tentandi occaſiones, & illecebras humani generis hoſtis adhibet, ut hominem decipiat. Scribens de iiſdem Hugo ita loquitur.

Diabolus quando decipere quenquam tentat, priùs naturam uniuſcujuſque intendit, & inde ſe applicat, unde aptum hominem ad peccandum aſpicit: blandis, & lenibus moribus ſæpè luxuriam, aut vanam gloriam proponit, aſperis verò mentibus, iram, & ſuperbiam cum crudelitate.

At addit. Quatuor ſunt cauſæ tentationum. Prima eſt loci amœnitas: ut civitates, & oppida, quæ non tantùm ex ſitu loci amœnitatem recipiunt, ſed ex inhabitantium gratia. Secunda verò cauſa eſt, locus divitiarum. Ubi enim divitiæ, ibi periculum. Tertia verò cauſa eſt pretioſus ornatus; ut eſt equo- B rum cura pinguium, & veſtimentorum exquiſitæ varietates. Quarta autem mulierum ſpecies, quarum vox blanditur auribus, & facies oculis. *De clauſtro anim. lib.*2.

Concludit autem, Audiant igitur hæc, ut ſibi caveant illi, qui loculos portant, qui pecunias ſervant, qui nundinas, & fora pro neceſſitatibus fratrum frequentant, qui ſecularium domos, & curias perluſtrant: devitent igitur hujuſmodi fratres ſolatium Berſabeæ, bivium Thamar, thalamum Amnon: devitent perſonas infames, hoſpitia ſuſpecta, munus clàm dare, & accipere, pecuniam plurimam congregare, ne in ipſa laqueus lateat, in quo cum alio, ſcilicet Juda, pereant. *ibid.*

Tractans de eodem argumento S. Auguſtinus ita ſcribit: Tamdiù diabolus ſopitum ignem ſine ullis flammis occultat, donec duas faculas jungens ſimul ambas accendat, & tandiu ceſſat ſævitiæ ſuæ tela ſupponere, donec ſicut peritus veniat, quod occiſurus eſt, laquei vinculis alliget. *De ſing. cle.*

Duplicem aciem producit mundus contra milites Chriſti: blanditur enim, ut decipiat: terret, ut frangat. Non nos teneat voluptas propria, nos non terreat crudelitas aliena, & victus eſt mundus, ad utroſque aditus occurrit Chriſtus, & non vinci- C tur Chriſtus. *in ſerm. S. Vincentii.*

Leo Papa in ſermone quodam, tentatoris fallacias conſiderans, ait: non deſinit antiquus hoſtis tentationum laqueos ubivis prætendere, ut quoquo modo fidem credentium valeat corrumpere. Novit enim cui illecebras carnis ingerat, cui virus invidiæ infundat, cui incitamen luxuriæ opponat: novit, quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat: omnium diſcutit mores, omnium ventilat cauſas, omnium ſcrutatur affectus, ibi quærit cauſas nocendi, ubi viderit quenquam diligentius occupari.

BELLUM GRAVE.

Bellum grave, quia occultum, quia cum fortiore, quia hoſtis inſidiæ non videntur: adverſarius nec labore deficit, nec victus aliquando diſcedit, ſed tanto atrocior redditur, quanto eum per divinam gratiam debellari poſſe contigerit. *Caſſ. ſupr. Pſalm.*51.

S. Petrus Chrysologus ait: Mundus adversùs deſertores ſuos fortius pugnat: & egredientes vitæ ſecularis illecebras gravior congreſſus expectat. Nam & in exitu Iſrael de Ægypto D Pharao vehementius excandeſcit: & Satanas egrediens ab homine, quem ab infantia tenuerat, ipſum gravius in egreſſu diſcerpit. Communis curſus præſentis, eſt tentationibus apprehendi: nam ad virtutis exercitium Hieroſolymis relictus eſt Jebuſæus, & Apoſtolo ſpiritus Satanæ datus eſt, ne revelationibus extollatur. Arenam pugnæ ancipitis ingreſſus es, in qua non apprehendes bravium, niſi curras, non coronaberis, niſi pugnes, *Chryſ. in quadam epiſt.*

* TENTATIONUM NECESSITAS. EÆQUE JUSTIS FAMILIARES.

Tentationibus Dei permiſſione, & Dæmonis operatione immiſſis, nemo quantumvis juſtus carere poteſt. Nam ut Job ſecundùm LXX. Interp. ait: Tentatio eſt vita hominis ſuper terram *cap.*7. & quidem inquit *S. Hieronym. in Epiſt. ad Galat.* Si Salvator noſter tentatus eſt, quis poteſt eſſe ſecurus, intentatum ſe hujus vitæ maria tranſire?

S. Auguſt. ita ſcribit: Vita noſtra in hac peregrinatione non poteſt eſſe ſine peccato, ſine tentatione: quia profectus noſter E per tentationem noſtram fit, nec ſibi quiſquam innoteſcit, niſi tentatus; nec poteſt coronari, niſi vicerit; nec poteſt vincere, niſi certaverit; nec poteſt certare, niſi inimicum, & tentationes habuerit. *Auguſt. ſuper Pſal.*

B. quoque *Gregor. lib.*21. *Moral.* hunc in modum philoſophatur. Quia in hac vita adhuc homo poſitus, in cujuslibet ordinis loco, in cujuslibet ſecreti ſeceſſu, vivere ſine tentationibus nullatenus poteſt, plerumque in id, quod ad requiem conſtruitur, major dolor tentationis invenitur, &c. Via quippe eſt vita præſens, qua ad patriam tendimus, & idcircò hic occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, nec viam pro patria diligamus. Solent etenim nonnulli viatores, cùm amœna fortaſſe prata in itinere conſpiciunt, pergendi moras innectere, & à cœpti itineris rectitudine declinare: eorumque greſſus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo ſuis ad ſe pergentibus Dominus hujus mundi iter aſperum facit; ne dum quiſque vitæ præſentis requie quaſi amœnitate vitæ paſcitur, magis eum diù pergere, quam citius pervenire delectet: ne dum oblectatur in via, oblitiviſcatur, quod deſiderat in patria. F

Tentationibus autem dæmonis, magis obnoxii ſunt probi, quàm improbi, novitii in Religione, quàm veterani. Non quærit Diabolus, inquit *S. Hieronymus Epiſtola vigeſima ſecunda ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis*, homines infideles, non eos, qui foris ſunt, & quorum carnes Rex Aſſyrius in olla ſuccendit: de Eccleſia Chriſti rapere feſtinat. Eſcæ ejus ſecundùm Abacuc electæ ſunt. Job ſubvertere cupit, & devorato Juda, ad cribrandos Apoſtolos expetit poteſtatem. Hæc ille.

Qui non eſt tentatus, quid ſcit? ait Scriptura. Certè neque ſe, neque Deum, neque alios. Seipſum neſcit, quia vires ſuas non probavit; & multò fortè imbecillior eſt, quàm ſibi videtur eſſe. Nam ut aurum fornax; ſic juſtos tentatio probat. Et qui adipiſci virtutes quærunt, ſed labores virtutum fugiunt, id eſt tentationibus carere volunt, quid aliud, quam exhibere belli certamine in campo neſciunt, & triumphare in urbibus de bello concupiſcunt. Deum neſcit, qui ejus auxilio ſibi minus indigere videtur. Alios neſcit, quia aliorum infirmitatibus, quas ipſe non eſt expertus, compati, & indulgere non novit. G

Cujus rei perelegans exemplum refert *Caſſianus collat.*2. *cap.*13. quod hic in compendium redigemus: juvenis quidam monachus, fornicationis ſpiritu vehementer tentatus, cùm id ſeni monacho conſilii gratia expoſuiſſet, vehementiſſimè à ſene objurgatur, & monachi nomine indignus arguitur, qui tales cogitationes vel leviſſimè in animum admiſerit, qua ille objurgatione fractus penitus, & ad ſæculum redire meditans, in alium, Deo diſponente, ſenem prudentiorem incidit; qui ut juvenem ſolaretur, ſe hujuſmodi etiam ſtimulis agitati affirmat, & ut ad unum, atque ad alterum diem expectaret, obtinuit: moxque Deum rogat, ut ſenem illum alterum imprudentem ſimili modo affligi, atque tentari permittat: quod ubi factum eſſet, Senexque ille inhumanus eodem ſpiritu nequam agitatus, per eremum diſcurrens, ſuum quoque morbum eidem ſeni prudenti (is Apoſtolo dicebatur) aperuiſſet, his eum verbis ſenex objurgat: Revertere ad cellam, tandemque intellige, vel ignoratum te hactenus à Diabolo, vel deſpectum, nec in eorum numero reputatum, quibus ille quotidie confligere, & colluctari ex profectibus eorum, ac ſtudiis inſtigatur. Et hoc te ſtimulo, quem nec ad unum diem ferre quiviſti, ideò ſauciatum agnoſce, ut ſaltem in ſenecta diſcas H compati infirmitatibus alienis. Moxque oratione facta, ſenex imprudens à gravi tentatione liberatur, & ut aliorum infirmitatibus meliùs, ac mitius condeſcendat, ſuo malo, & periculo docetur.

Eſt itaque tentatio præcipuum juſtorum exercitium. Draco *in Apoc.*12. videns ſe nec matrem nec filium devorare potuiſſe, nec mulierem, nec maſculum, quem peperit, iratus abiit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata Dei. Cùm nec Chriſtum caput Eccleſiæ, in deſerto, nec totum Eccleſiæ corpus, quod per mulierem ſignificatur, diabolus tentando perdere potuit, ad ſingulos Eccleſiæ filios, eoſque meliores, tentandos, & affligendos ſe convertit. Sicut enim, qui cum altero digladiatur, animadvertens ſe eum in capite ferire non poſſe, in corpus ejus reliquum ictus infligit, ut vel manum, vel tibiam vulneret: ſic diabolus, quia contra Chriſtum non prævaluit membra ejus, ſingulos fideles aggreditur.

Sed

Sed & quemadmodum Chriſtum ſtatim à Baptiſmate tenta-A vit, ſic contra ejus membra tunc maximè ſævit, cùm vel pœnitentiæ, vel emendationis, vel ſanctioris inſtituti propoſitum animo agitatur.

Pharao tunc maximè filios Iſrael duplicato labore oppreſſit, quando ex Ægypto commigrandi conſilium ceperunt. Naſcentem virtutis ſobolem interficere ſtudet, ut Herodes Chriſtum parvulum.

* TENTATIONUM DIABOLICARUM MODI, ET FALLACIÆ.

Tentatoris noſtri malitiam, & vigilantiam Scriptura divina, & ex ea SS. Patres non ſemel inculcant, hinc eum leoni rugienti comparat Apoſtolorum Princeps. *Et ait Gregor, in Moral.* antiquus hoſtis ex proprio certamine dum ſe ſuccumbere conſiderat, alia tentationum bella reſtaurat, intuetur humani generis uniuſcujuſque mores, cui vitio ſint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ facilius novit inclinare mentem. Sic ille.

Et ſanè, bellum nobis cum illo ab initio mundi proclamatum eſt, cùm Deus dixit ſe poſiturum inimicitias inter ipſum, B & mulierem. De quo bello dicitur *in Apocal.* Væ terræ, & mari, quia deſcendit ad vos Diabolus habens iram magnam, ſciens, quod modicum tempus habet.

Hic eſt ille hoſtis capitalis, & adverſarius, de quo Chriſtus nos monet, dicens: Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te adverſarius judici. *Matth* 5. Jubet hic Salvator noſter conſentire adverſario, cùm tamen aliæ Scripturæ jubeant nos eidem reſiſtere. Sed audi exponentem D. Hieronymum, ſic enim ait: Quia iniſti pactum cum adverſario tuo, dicens, ei, Renuncio tibi, diabole, & omnibus pompis tuis (quæ ſunt verba noſtra omnium in Baptiſmo) ſerva fœdus, quod pepigiſti, & eſto conſentiens, pactumque cuſtodiens cum adverſario tuo, dum es in via hujus ſæculi, ne fortè tradat te judici, & te de ſuo uſurpaſſe aliquid convincat, tradariſque miniſtro, qui ipſe eſt & inimicus, & vindex. *In Epiſt. ad Demetriad. de virginitate ſervanda.* Hic enim Adverſarius talis eſt, & ut tentator ſit per fallaciam, & accuſator per malitiam, & carnifex noſter, ac vindex per juſtitiam.

Ceterùm tentatoris aſtutiam eruunt Eccleſiaſtici Scri-C ptores ex circumſtantiis, quibus Chriſtum in deſerto tentavit. In prima enim hac Chriſti tentatione ſub paucis verbis ad multa tentat, & quàm ſit diligens ad tentandum docet. Una enim, & eadem opera vult explorare, an filius Dei ſit; & ſi non ſit, à juſtitiæ rectitudine eum prorſus, ſi poteſt, dimovere.

Explorat ergo primùm per converſionem ſolo imperio faciendam: Dic, ut lapides iſti panes fiant. Jube hoc miraculum fieri. Dei enim phaſis eſt dicere. Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux. Deinde vult in peccatum gulæ pertrahere, ſuggerens ut per viam inordinatam famem compeſcat.

Ideò enim non lapidem, ſed lapides jubet in panem vertere. Ad famem præſentem reprimendam ſufficiebat unus panis ex uno lapide convertendus. Et Elias in deſerto gravi fame oppreſſus, non accepit ab Angelo niſi unum ſubcinericium panem, & vas aquæ. Deus parſimoniam, diabolus abundantiam, & ſuperfluitatem docet. Tamen ut tentationem ſuam vafer hoſtis occultet, panis tantùm mentionem facit, non ad delicias, aut manifeſtè ſuperflua virum ſan-D ctum invitat. Sicut enim auceps, cùm retia tendit, nihil niſi cibum, eumque neceſſarium oſtendit: ſic diabolus laborat, ut ejus tentatio, non tentatio, ſed ratio videatur. Quare occaſionem tentandi obſervavit, famem Chriſti. Dicitur enim, & poſteà eſuriit, & accedens tentator dixit. Quia namque eſurientem Chriſtum vidit, tentandi occaſionem captavit.

Diabolus ex quavis re minima, ex quovis aut indicio inclinationis pravæ, aut infirmitatis ſigno, tentandi anſam arripit. Sed maxima, & frequentiſſima tentandi occaſio illi eſt, cùm rerum ſecularium appetentes, & eſurientes nòs videt. Multis perſuadet, propter rerum temporalium, quam putant, neceſſitatem, à Deo recedere.

Quàm multi, proh dolor! hodie hæretici reluctante conſcientia, ceſſerunt hac Diaboli voce decepti: Oportet ut vivas, ut uxorem, ac liberos alas: non teneris, propter fidem hæc omnia deſerere, & teipſum in extremam neceſſitatem conjicere.

Eadem aſtutia Mercatori mendacia, & fraudes; Latroni rapinas, & furta, Advocato dolos malos perſuaſit; quia neceſſe eſt lucrari, & habere, unde vivant.

Obſervatione quoque dignum eſt, quod, quam poteſt minimo, ſuos conducere Diabolus vult. E In ſolo enim panè voluit Chriſtum perdere. Atque ad unum aliquando nummum lucrandum hominem perdit.

Quantulum erat colligere ligna in Sabbatho, propter quod lapidatus fuit inobediens legi Judæus? *Num.* 15. Sed ad hanc parvam inobedientiam ſub neceſſitatis ſpecie eum diabolus induxit, ut ſic perderet.

Quantulum erat Ananiæ, & Sapphiræ fraudare de pretio agri, quem dederant? *Actor.* 5. Sed in hoc parvo ſic tentavit cor eorum Satanas (ut Petrus dixit) ut repentina morte extinctus fuerit uterque.

Sic ſuaſit miſero Eſau, ut pro lenticulæ edulio ſua primogenita venderet: qui ideò benedictione Dei, & etiam paterna excidit. *Gen.* 25.

Sic filiis Iſrael in deſerto, ollas tantùm, & carnes Ægyptiacas in memoriam revocat, ut eos Deo rebelles, & revertendi in Ægyptum cupidos redderet. *Exod.* 16.

Conſurrexit Satan contra Iſrael, & incitavit David, ut numeraret Iſrael. 1. *Paral.* 21.

Judas Simonis Iſcariotes in tentationem ſe abire permiſit, F dum Satanas in eum intravit. *Joan.* 13.

Tentat homines non unus modò Satan, ſed gregatim interdum impetum faciunt; quod ille confeſſus eſt Dæmon, qui rogatus à Chriſto Domino, quod ſibi nomen eſſet, reſpondit; Legio mihi nomen eſt, nempe dæmonum multitudo: quæ miſerum illum divexarat. *Matth.* 11.

DÆMONUM ILLUSIONES VARIÆ, & FALLACES. UT FACILIUS tentent, & vincant.

Serpens callidus ad tentandum, immò diabolus in ſerpente, humanum genus ex parte debiliorum, & ad peccandum promptiorum aggreſſus eſt. Non enim Adam primùm tentavit, ſed Evam. Item explorando à longè incœpit, non ſtatim comedere vetitum fructum ex abrupto ſuaſit.

Item negavit pœnam ſequutam pro mandati transgreſſione, & magna bona aſſeruit affutura pro una tali comeſſatione. *Geneſ.* 3.

Spiritus mendax frequenter in tentatione mentitur. Unde G dixit Evæ: Nequaquam moriemini. Ita dixit Salvatori, cùm oſtendiſſet ei omnia regna mundi, mihi tradita ſunt, & cui volo do illa. *Eod. Luc.* 4.

Tum & ſcripturam ſacram perversè allegat: dixit domino angelorum: Angelis ſuis mandavit de te, &c. *Matth.* 4.

Petivit Satan à domino, ut Job tangeretur in rebus, & liberis, & corpore. In quo poteſt notari & calliditas, & malignitas, & infirmitas inimici. *Job.* 1. 2.

Non expedit tentationes ſuas revelare alicui homini, quem credit, & ipſum de ſimili peccato tentari, ſed magis alicui diſcreto, & ſancto, qui eum confortet in bono. Unde duo Senes quando ſibi invicem concupiſcentiam ſuam indicaverunt, ad pejus provocati fuerunt. *Dan.* 13.

Tentatio Domini nos inſtituit ad vincendum omne genus tentationis. Fuit enim tentatus à tribus, ad quæ omnia poſſunt tentamenta reduci. Et nota, quòd non per potentiam, ſed per ſcripturam tentatorem vicit. *Matth.* 4. *Luc.* 4.

Ait Dominus Simoni Petro, inſtante paſſione ſua: Ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum, ego autem H rogavi pro te. *Luc.* 22.

Cùm Beatus Nortbertus in Chriſto Domino Ordinis ſui fundamenta poneret, & jam de vivis, & politis lapidibus domus Dei ampliaretur, non defuere tentationes inimici, & adverſantis hoſtis inſidiæ, qui plantata eradicare, fundata evellere, congregata diſpergere, diſperſa morti tradere multiformi dolo laboraret. Nam in ſingulis ſingulas, & proprias conſiderans affectiones, modis omnibus ſe opponebat, & ad decipiendos novos tyrones Dei ſeſe in Angelum lucis transformare non metuebat. Itaque contigit quadam nocte. Cuidam ad matutinas ſtanti, contemplanti, & de illa glorioſa, & ineffabili Trinitate cogitanti, ut ille antiquus hoſtis viſibiliter adſtaret, & diceret: O quàm felix es: ò quam in tuo propoſito laudabilis, qui & bene cœpiſti, & te perſeveraturum in tanta affectione deliberas: idcirò ſanctam Trinitatem, ad quam toto mentis affectu ſuſpiras, videre mereberis. Et his dictis, apparuit tria geſtans capita, Trinitatem ſe eſſe conteſtans. At ille expave-

ſcens

ſcens, & plurimùm admirans, paululùm tamen præmedita-A tus, cum non ſibilum auræ lenis, ſed ventum turbinis fœtidum ſentiret, dixit: O miſer, & infelix, & omnibus creaturis deterior! tu, inquam, qui ſignaculum ſimilitudinis Dei fuiſti, quomodo arrogas tibi non tantùm te ſcire Trinitatem; ſed illam ipſam te eſſe. Recede, recede, & me tuis fraudibus non obedientem, non præſumas ulteriùs inquietare. Statim ille receſſit. *In Vita ejus apud Sur. die 6. Junii, c.* 19.

Hic occurrit illud de S. Martino ex Sulpitio. Quodam die præmiſſa prece, & circumtectus ipſe luce purpurea, quò faciliùs claritate aſſumpti fulgoris illuderet, veſte etiam regia indutus, diademate ex gemmis auroque redimitus, calceis auro illitis, ſereno ore, læta facie, ut nihil minus, quàm diabolus putaretur, oranti in cellula aſtitit; cùmque Martinus primo aſpectu ejus fuiſſet hebetatus, diù multùmque ambo ſilentium tenuerunt, tum prior diabolus: Agnoſce, inquit, Martine, quem cernis, Chriſtus ego ſum, deſcenſurus ad terram, priùs me tibi manifeſtare volui. Ad hæc cùm Martinus taceret, nec quicquam reſponſi referret, iterare auſus eſt diabolus profeſſionis audaciam: Martine, quid dubitas B credere, cùm vides? Chriſtus ego ſum. Tum ille revelante ſibi Spiritu, ut intelligeret diabolum eſſe, non Dominum: Non ſe, inquit, Dominus purpuratum, & diademate renitentem venturum eſſe prædixit: Ego Chriſtum, niſi in eo habitu, formaque, qua paſſus eſt, niſi Crucis ſtigmata præferentem, veniſſe non credam. Ad hanc ille vocem ſtatim ut fumus evanuit, cellulamque tanto fœtore complevit, ut indubia indicia relinqueret diabolum ſe fuiſſe. *Sever. Sulpit. in ejus vita c.* 25. *Dial.* 1.

Alter ſanctorum Patrum, dum ſibi dæmon transfiguratus in Chriſtum diceret, Ego ſum Chriſtus te perſonaliter viſitans, quia dignus es: confeſtim clauſit oculos utraque manu vociferans. Nolo hìc Chriſtum videre, ſatis eſt ipſum in gloria ſi videro: ſtatimque diſparuit. Alter ſub aliis verbis ſimilem ſervavit in hujuſmodi illuſione humilitatem: Vide, inquit, ad quem miſſus ſis. Ego certè talis non ſum; quòd dignus ſim hìc videre Chriſtum. Subdit idem reverenter quoque: cum Apoſtolorum Principe dicatur; Exi à me, Domine, quia peccator ſum, quia vilis ſum, quia viſionibus tuis indignus ſum; quas hìc neque quæro, neque accepto, ſed C repello. Sit in alio, non in hoc ſæculo viſio tua tota merces mea Domine Deus, & ſufficit. Quid ad me de viſionibus tuis in hac vita? quid de Superiorum meorum monitionibus? mitte potius alium, quem miſſurus es: & me meus ſpiritus humili tegat, obſcuroque loco. *Joan. Gerſon. & D. Bonav. lib. de perfect. religioſorum.*

His conforme eſt, quod Gregorius Turonenſis ſcribit de S. Friardo, ejuſque ſocio Secundello Diacono: hi enim patria, parentibuſque relictis, eremum petierunt, ubi ſteterunt immobiles: habebat uterque propriam cellulam, ſed procul inter ſe poſitam: cùmque ſtrenuè in oratione perſiſterent, nocte Secundello Diacono apparuit tentator in ſpecie Domini, dicens: Ego ſum Chriſtus, quem continuò deprecaris: jam enim ſanctus, & nomen tuum in libro vitæ cum reliquis Sanctis meis adſcripſi: egredere nunc ab hac inſula, & vadens fac ſanitates in populis. His & ille illectus deceptionibus diſceſſit ab inſula, nec ſocio nunciavit: tamen cùm infirmis in nomine Chriſti manus imponeret, ſanabantur. Reverſus autem poſt multum tempus ad inſulam, venit ad ſocium cum vana gloria, dicens: Abii extrà inſulam, & virtutes multas in populis feci. Cùmque D conterritus ille interrogaret, quid hoc ſibi vellet, cuncta, quæ geſſerat, ſimpliciter pandit. At ſenior obſtupeſcens, ſuſpiranſque, ac lacrymans, ait: Væ nobis, in quantum audio, à tentatore deluſus es: vade, age pœnitentiam, ne ultrà tibi prævaleant ejus doli. Quod ille intelligens, & periiſſe ſe timens, cum fletu ad pedes ejus proſternitur, rogans ut pro ſe Dominum deprecaretur. Cui, veni, inquit, & pariter ejus omnipotentiam pro ſalute animæ tuæ poſcamus: non eſt enim difficilis Dominus ſe confitentibus miſereri, cùm ipſe per Prophetam dicat: Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat. Orantibus autem illis advenit iterùm tentator in ſimili ſpecie ad Secundellum Diaconum, dicens: Nonnè præceperam tibi, eò quòd oves meæ morbidæ eſſent, & paſtore indigerent, ut egredereris, & viſitares, atque opem ſanitatis eis tribueres? Et ille: In veritate comperi, quod ſeductor ſis, neque te Deum credo, cujus te ſpeciem mentiris habere. Tamen ſi Chriſtus es, crucem tuam, quam reliquiſti, ipſam oſtende, & credam tibi. Cùmque non oſtenderet, Diacono crucem Domini in os ejus faciente, confuſus evanuit. Rurſum verò ad eum veniens cum multitudine dæmo- E num, tanta illum cæde afflixit, ut vix putaretur evadere poſſe: & diſcedens, nuſquam comparuit. Idem poſteà Diaconus in ſumma ſanctitate perdurans die debito defunctus eſt. *Gregorius Turon. libro 2. de vita Patrum cap. 10. apud Sur. Auguſt.*

B. SIMEON Monachus Trevirenſis, in verticem montis Sinai juſſu ſuperiorum cùm miſſus fuiſſet, ibi habitaturus, nocturnis horis illi ſpecie Angelica dæmon apparuit, & ut Miſſam celebret, hortatur. Ipſe nec planè dormiens, nec perfectè vigilans contradicit, non debere ſine presbyterii ordine aliquem hoc miniſterium implere: contra inimicus inſtat, ſe Dei legatum eſſe, Chriſtum hoc velle, nec decere ſanctum locum miniſterio tali diutiùs privari. Renitentem ergo, & contradicentem adjuncto ſibi conſortio alterius dæmonis, de lectulo educunt, ante altare jam vigilantem ſtatuunt, alba induunt, de ſtola utrimque altercantur: hoſtis more presbyteri, Simeon more diaconi contendebat ſibi imponi debere. Tandem Dei famulus ad ſe reverſus, virtute orationis, & ſigno Crucis inimicum repellit, ſeque F deluſum ingemiſcit. *Everuninus Abbas in hiſt. vitæ ejus apud Sur. Junii cap.* 4.

Quidam ex amicis B. Mariæ Oegeniacenæ præcipuus, à dæmonio meridiano perambulante in tenebris, aliquando tantò periculoſiùs, quantò ſubtiliùs infeſtabatur. Callidus enim hoſtis, transfigurans ſe in angelum lucis ſub ſpecie pietatis familiariter in ſomnis apparebat; nonnunquam ejus quædam vitia reprehendens, ad quædam etiam facienda bona eum fraudulenter adhortans ut prius tanquam antidori cujuſdam falſa ſpecie oblata, poſteà occultius venenum inſtillaret, & mellita lingua blanditer exerta, poſtmodum dentem infigeret, & ad extremum caudam ſuam quaſi cedrum ſtringeret. Cùm enim jam illi fides ceu veraci haberetur, tum inſtar ſophiſtæ, & impoſtoris, veris quibuſdam proditor ille falſa permiſcebat, bonorum intermixtione falſis quandam umbram inſidioſè prætexens. Tandem ſuis machinis eò perduxit fratrem illum, ut res ejus peſſimum exitum fuerint habituræ, ſi non ancilla Chriſti, revelante Spiritu ſancto, callidi veteratoris fraudes didiciſſet. Cùm autem diceret homini, revelationes illas non eſſe à Deo, G ſed maligni dæmonis illuſiones eſſe; & ille è diverſo, non ſancto, ſed ſuo ſpiritu objiceret. Cùm tot beneficia præſtiterit mihi ſpiritus ille, tot vera, & futura prædixerit, nullo pacto mihi vult imponere, illa ad ſolita orationis arma confugiens pedes Domini rigat lacrymis, cælum precibus inſtanter pulſat, nec facit finem, donec impius ille impoſtor cum multò gemitu, & ſudore ipſi nocte in cellula ſua oranti adſtaret: quem illa commentitio præditum ſplendore intuens: Quiſnam es tu, inquit, aut qui vocaris? ille ſuperbo ut erat vultu illam torvis oculis viciſſim aſpiciens; Ego ſum, ait, quem tu maledicta precibus tuis compuliſti venire ad te, quæ meum mihi amicum per vim auferre conaris. Somnium autem ego vocor: Multis enim, præſertim religioſis, in ſomnis inſtar Luciferi appareo, mihique obediunt illi, & ex meis conſolationibus animis efferuntur, dignoſque ſe putant, qui divinis, & angelicis fruantur colloquiis. Amicum illum meum, quem pro tua voluntate mihi abſtuliſti, jam eram à bono propoſito retracturus. Et id ſanè eventus rei docuit, ſed ova aſpidum rupta ſunt, & maligni illius fraudulenta conſilia in lucem prolata. *Jacob à Vitriaco Cardinal. libro 1. vitæ Mariæ Oegeniacenſis* H *cap* 1.

Quidam debita obedientiæ, paupertatiſque forte non contentus, magno labore deſudabat, ut tugurium ſuum laxius paulò, ornatiuſque redderet, quàm communis conſodalium ratio ferebat: dumque aliquando ferveret opus, ſuperveniens Senior invenit illum ingenti malleo ſaxum grande diverberantem; volentem illud minuere, & uſui ſuo aptum reddere: viditque diabolum, in forma Æthiopis; manus manibus applicantem, ictus ſingulos dirigentem, & adjuvantem, quique totis viribus, atque conſilio opus curioſa mente ſtrenuè promovebat. Accedens vir ſanctus propius rogavit, ecquidnam ageret: Lapis hic (inquit) nobis multùm faceſſit negotii, & vix illum confringere valemus. Rectè, inquit Superior, dicis (nobis) & (valemus) nam ſolus non es in hoc opere: ſed cooperatorem habes, qui tibi non tam ſervit, & opitulatur, quàm imperat, & dominatur; teque facere compellit quidquid voluerit, juxta proprii tamen ſenſus tui perverſam cupiditatem. Dum

viſibili

viſibili fraus iſta ſpecie detegitur, ſimul innuitur, quid quoti- A die latenter peragatur, quomodo diaboli juſſis per peccatum obtemperatur. *Caſſianus collat.9.c.6.*

Aliud efficacius verbis Franciſci Bentii ex annuis literis proferimus Provinciæ Mediolanæ anni 1590. in oppido quodam ſuburbano propè Aronam, ad triginta Mulieres malo dæmone agitantur, omnes ferè virgines, infimæque conditionis, præſertim quæ ſunt voto virginitatis obſtrictæ. Mirum, has quibus dolis circumveniat, quibus artibus oppugnet. Varias inducit formas, ut alliciat ad infanda, ut deterreat ab honeſtis. Aſſimulat modò perſonam, & pietatem monachi, & quod audire aures horrent, ipſiuſmet Chriſti crucifixi hortantis ad impia: quin & urſum, leonem, ſerpentem, impetum facturus in puellas hianti ore, & devoraturus uno hauſtu: minacem etiam militem eum ſclopo parato, & inſtructo, jam jamque extruſuro pernicialem glandem cum flamma tonitruque, niſi extorqueat aſſenſum. Sed ſimplicitas virginum vincit omnem aſtutiam Deo nixa. Magna omnino earum fides! eoque clypeo ignea nequiſſimi tela extinxere. Ex plurimis narrationes duæ reponentur. Ex earum numero B quædam nobilibus orta parentibus, & molliter educata, cùm haberet aliquando noctem infeſtam à diabolo inſidiante, ſtratum deſerit, & hyeme licèt media, ac tempeſtate perfrigida, in nullo pavimento nuda cubat. Cùm creſceret nihilo ſeciùs flamma (ut magnum incendium aqua ingeſta) clàm cubiculo egreſſa in hortum ſecedit, ibique magni æmulatione Franciſci, quem eadem factitaſſe acceperat, corpus projecit in aggerem nivium, tamdiuque pervolutavit, obſtrepente licèt dæmone (qui ab ea viſebatur) & dentibus frendente, ut internum ignem externo frigore reſtinxerit. Alteri item dæmon noctu ſe oſtendit imagine B. Urſulæ, & crucis vexillum præferens cum multarum virginum comitatu, atque ita locutus eſt; Videt Deus, amatque tuum iſtud ſtudium tuendæ pudicitiæ: ſed quoniam difficile admodum eſt in paterna domo in tanto ſtrepitu occurſantium, & periculorum objectu non contaminari mentem aliqua ex parte, nos allegavit, ut te duceremus in cœnobium ſacrarum virginum omiſſis curis omnibus ipſi numini ſtudioſè famulantium. Hìc virguncula, Deo aſpirante, cùm verens diaboli inſidias, dexteram C duxiſſet manum à capite in pectus, moxque à ſiniſtra produxiſſet in dexteram, ut efformaret Crucem, ſe talibus viſis, tantòque honore indigniſſimam eſſe profitetur. Neque verò vobis habeo magnam fidem. Timeo & in ſpecioſis conſiliis fictos dolos; quod ſi Dei legatione fungimini, has Sanctorum reliquias (habebat reliquias alligatas ad collum) humiliter veneremini. Mirum dictu, procubuerunt in genua larvæ venerabundæ, & tanto magis urgent, ut maturet profectionem. At illa, mihi non licèt quicquam gravius ſtatuere mei patris ſpiritualis injuſſu, neque ad eum adire licèt nocte intempeſta: convenite vos illum, & exponite mandatum Dei, ubi diluxerit, ego accedam, & utar conſilio illius. Hoc reſponſo, dæmones abjecta omni ſimulatione, in ſuas ſe tenebras abdiderunt; cum fremitu in irridentem puellam, quod lingua ſolùm bellarent, grateſque agentem ſimpliciter Deo, contumelias, & probra certatim ingerentes. *Ex litt. annuis Societ. anno* 1590. *Provinciæ Mediolanenſis.*

* TENTATIONIBUS FORTITER RESISTENDUM.

D Tentationi ad peccandum inclinant; illicò, & velut in ipſis foribus reſiſtendum eſt. Reſiſtimus autem, dum eas à nobis repellimus, & exemplo Chriſti illam fidei vocem inclamamus, Vade, Satana. Scriptura enim dicit. *Jacob.*4. Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis, quo modo à Chriſto etiam diſceſſit, poſtquam ei dixit: Vade, Satana.

Abbas Antonius dux monaſterii Æliotarum, qui etiam illud ædificavit, narravit nobis de Abbate Theodoſio, quod ſenex ipſe hæc de ſeipſo narrabat: Priuſquam ad vitam ſolitariam tranſiſſem; factus in extaſi aſpexi virum quendam, cujus ſpecies claritatem ſolis vinceret. Hic tenens manum meam: Veni, ait, quia pugnare, & luctari te convenit, & induxit me in theatrum plenum viris ex una parte candido amictu, ex alia verò nigro veſtitis. Cùm ergo injeciſſet me in theatrum, aſpicio virum miræ magnitudinis Æthiopem cujus caput turpiſſimum penetrabat nubes. Tunc ait ad me juvenis ille, qui mihi apparuerat: Cùm hoc luctari te oportet. Ego, qui aſpectu viri illius proceri territus eram, tremere, ac pavere cœpi, orabamque juvenem illum ſplendidum, qui me induxerat in theatrum, dicens: Quis hominum mortali conditione, & infirmitate circumdatus, cum hoc luctari poſſet? Non ipſum univerſum genus hominum, ſi in unum confluat, E huic reſiſtere prævalet. Ait autem ad me juvenis ille præclarus; Prorſus cum illo te luctari opus eſt. Ingredere igitur cum omni alacritate, & fiducia: mox enim ut tu illum adorſus fueris, ego ad certamen ero, tibique victoriæ coronam reponam. Ut ergo ad certamen ſum ingreſſus, luctarique invicem cœpimus, continuò præclarus ille judex noſtri certaminis adfuit, mihique coronam dedit. Atque plebs illa obſcura, Æthiopumque multitudo ingens ejulantes evanuerunt: pars verò reliqua candidatorum gratias illi, & laudes referebant, qui me juverat, ac præclara victoria donaverat. *Sophronius Prat. ſpirituali cap.66.*

Dixit Quidam ſanctorum: Cùm oramus ad Dominum dicentes: Ne nos inducas in tentationem: non ut non tentemur, oramus, hoc enim poſſibile non eſt, ſed ne à tentatione abſorbeamur, ſi aliquid agamus, quod diſpliceat Chriſto: hoc enim eſt non intrare in tentationem. Sancti enim martyres tentati per ſupplicia, nec ſuperati, non intrarunt in tentationem, ſicuti neque, qui pugnat cum beſtia, quouſque non devoratus ab ea. Cùm verò devoratus fuerit, tunc intravit F in tentationem. Ita & in omni paſſione fit. Neque enim intramus in tentationem, niſi à paſſione ſuperemur. *Ibid. cap.*209.

Plurimùm autem in hac lucta valet, ſi ſtatim, & velut in limine tentationem opprimamus, antequam.

—— *mala per longas invaluere moras.*

Monet id Hieronymus *ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis.* Nolo ſinas cogitationem (libidinis) creſcere, nihil in te Babylonium, nihil confuſionis adoleſcat. Dum parvus eſt hoſtis, interfice: nequitia, ne zizania creſcat, elidatur in ſemine. Audi Pſalmiſtam dicentem: Filia Babylonis miſera: Beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam. Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos ſuos ad petram. Quia enim impoſſibile eſt, in ſenſum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicarur beatus, qui ut cœperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus, & allidit ad petram, petra autem Chriſtus eſt.

S. GREGORIUS in hanc rem adfert exemplum B. Job. Quanti culminis, inquit, vir iſte Job fuerit, ex noſtri cordis de- G jectione videamus. Ecce ſi quæ illicita aliquando cogitavit, quia ea citius inter arcana cordis gladio ſancti vigoris extinxit, pervenire illa uſque ad opera non permiſit: unde illicò ſubjungit: Et ſi in manibus meis adhæſit macula. Quomodo enim macula in manibus, id eſt, culpa actionis inhæreret, quam cenſura diſciplinæ non ſinebas in cogitatione proficere. 21. *Moral. cap.*7.

MODI, ET INSTRUMENTA RESISTENDI.

Ceterùm varii modi ſunt, quibus tentationibus reſiſtitur, deſumpti ab exemplis eorum, qui eos adhibuerunt, & victores evaſerunt, ac primùm quidem.

TESTIMONIA S. SCRIPTURÆ.

Hoc antidoto Chriſtus Salvator noſter dejecit omnes tentationes diaboli. *Matth.*4.

Apoſtolus Epheſiis conſuluit, ut eodem contra tentationes dæmonis uterentur *ad Epheſ.*6.17. Et galeam, inquiens, H ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.

Reſiſtere tentationibus omnino non ſufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladium malè vivendo poſtponit. *Greg.* 19. *Moral. cap. ult.*

Et Hieronymus loco citato: Statim, inquit, ut libido titillaverit ſenſum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem. Dominus auxiliator meus, non timebo, quid faciat mihi caro. Cùm paululùm interior homo inter vitia, atque virtutes cœperit fluctuare, dicito. Quare triſtis es, anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quia confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Idem epiſtola vigeſima ſeptima ad Euſtochium de Epitaphio Paulæ matris, prolixè oſtendit, quemadmodum B. Paula mater omnium tentationum, & afflictionum genera, gladio verbi Dei, hoc eſt, variis Scripturæ ſententiis, quaſi monſtra domuerit. In tentationibus, inquit, Deuteronomii verba volvebat. Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat, ſi diligatis Dominum

Dominum Deum veſtrum de toto corde veſtro, & de tota A anima veſtra. In tribulationibus, & anguſtiis, replicabat eloquia. Quia ablactati eſtis à lacte, qui abſtracti ab ubere tribulationem ſuper tribulationem exſpectate, ſpem ſuper ſpem, &c. Ac tandem ſubdit: His, & talibus teſtimoniis, quaſi armatura Dei, & adverſus omnia quidem vitia, ſed præcipuè inſtruebat ſe contra invidiam ſævientem, & patiendo injurias, furorem rabidi pectoris mitigabat. *Hæc ille.*

Dum ABRAMIUS aliquando noctu oraret, tenens ſecurim Satanas cœpit cellam ejus evertere: cùmque jam eam videretur perforaſſe, magna exclamavit voce, dicens: Feſtinate celeriter, ò amici mei, feſtinate, & introeuntes citò eum ſuffocate. Beatus autem vir Dei, contra ad illum: Omnes (inquit) gentes circumdederunt me, & in nomine Domini ultus ſum eos. Ille verò protinus hac voce audita evanuit; cella interim ſancti viri integra, atque illæſa permanente. Iterùmque paucis interlabentibus diebus alius, dum media nocte Pſalmodiæ vacaret conſpiciens ſtoream, ſuper quam pſallens conſiſtebat, vehementi flamma comburi; ignem intrepidus conculcans, ajebat: Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculca- B bis leonem, & draconem: omnemque potentiam inimici in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti mihi auxiliantis ſuperabo. Diffugiens autem Satanas exclamavit, ac dixit: Ego te devincam, improbe, arteſque inveniam, quibus te conteram, qui me jam deſpectui habes. *S. Ephrem Syrus in ejus vita.*

SIGNUM CRUCIS.

Omnes Patres docent plurimùm valere formationem CRUCIS, etiam ad dæmones ipſos pellendos.

S. Ephrem lib. de Pœnit. Hoc ſigno conſpecto, adverſariæ poteſtates conterritæ, trementeſque recedunt.

*S. Cyrillus Catecheſ.*13. monet, ut hoc ſignum oſtentemus audacter. Quando enim dæmones, inquit, viderint Crucem, recordantur crucifixi.

*S. Auguſtinus Lib. de Symb. cap.*1. docet omnia dæmonum machinamenta virtute Crucis ad nihilum redigi.

Exempla autem illorum, qui ſigno Crucis tentationes dæmonis repulerunt, ſive innumera, pauca dabimus.

S. ANTONIUS, *Teſte Athanaſio in ejus vita*, in ſummo tentationum æſtu dicebat: Si quid valetis, ſi vobis in me pote- C ſtatem Dominus dedit, ecce præſto ſum, devorate conceſſum, ſi verò non poteſtis, cur fruſtrà nitimini? Signum enim Crucis, & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus eſt.

De S. HILARIONE, cùm mirè agitaretur à dæmonibus ita ſcribit *S. Hieronymus in vita.* Intellexit, inquit, dæmonum ludibria, & provolutus genibus Chriſti Crucem ſignavit in fronte, talique armatus caſſide, & lorica fidei circumdatus jacens fortius præliabatur.

De B. MARTINO ita *Sulpit. in ejus vita:* Frequenter diabolus, cùm mille nocendi artibus ſanctum virum conabatur illudere, viſibilem ſe ei formis diverſis ingerebat, adverſùs quem ſemper imperterritus ſigno ſe Crucis, & orationis auxilio protegebat.

Addo JULIANUM, qui licet Apoſtata eſſet Chriſtianæ religionis, tamen ſigno Crucis ex more contra terrores expreſſo, dæmones fugavit. Sic enim ait *Greg. Naz. orat.*1. *in Julian.* Ad Crucem, inquit, confugit, eaque ſe adverſùs terrores conſignat, eumque, quem preſequebatur, in auxilium adſciſcit. Valuit ſignaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. Quid D deindè? reviviſcit malum, rurſus ad audaciam redit, rurſus aggreditur, rurſus iidem terrores urgent, rurſus objecto ſignaculo dæmones conquieſcunt; perplexuſque hæret diſcipulus. Idem habet. *Theodoret. lib.*3. *hiſt. cap.*3.

Cùm B. VINCENTIUS Ferrerius Dominicanus Valentiæ animas Chriſto lucrifaceret, ibi varias & dæmonum, & hominum pertulit inſidias. Quadam nocte, cùm finito matutinali officio ante beatæ Mariæ Virginis oraret imaginem, & inter cætera virtutem perſeverantiæ à Domino Jeſu Chriſto ſibi concedi peteret: viſus eſt ei adſtare ante oculos diabolus in ſpecie ſenis valdè venerabilis, cujus erat barba uſque ad genua prolixa, & nigerrima. Qui ei dixit: Ego ſum unus ex illis veteribus patribus, qui multis annis magna cum corporis continentia, ac incredibili potus, cibique parcitate Ægypti ſolitudinem incolui. Et cùm eſſem juvenis, omnemque corporis voluptatem experiri volui. Poſtquam verò tempora juventutis meæ in variis deliciis conſumpſi, in me reverſus pœnitentiam egi: & ſic clementiſſimus Deus veniam dedit peccatorum. Nunc igitur, ſi mihi ſeni credendum eſt, qui habeo multarum rerum uſum, tibi ſuadeo, ut floridæ ætati tuæ compatiaris, & hanc corporis macerationem nunc omittas, & uſque ad ſenectam reſerves. Nec dubites: E paratus eſt enim Deus ſemper ſuſcipere pœnitentiam. Sanctus autem Vincentius, ubi primò rem hujuſmodi vidit, fuit vehementi timore commotus. Sed poſtquàm verba loquentis advertit eſſe venenifera, diabolum eſſe ſuſpicatus eſt. Unde ſeſe Deo, & B. Virgini commendans nihil ad verba diaboli reſpondit: ſed ſe ſigno Crucis muniens, Abi, inquit, peſtifer ſerpens: namque ex ſubdolis verbis, & dictis tuis, non unus ex Ægypti patribus, ſed ex inferni dæmonibus eſſe convinceris. Credidiſti novum militem Chriſti tuis inſidiis poſſe ſuperari. Sed licèt novus ſim in hac militia, tamen gratia Chriſti, cujus amore laboribus me, tentationibuſque expono, me ſic undique armatum reddet, ut contra te dimicare non metuam. Dæmon ſe cognitum videns, emiſſo ejulatu magno, ac tetro fœtore relicto, protinus evanuit. *Petr. Ranzan. Panormit. in vita ejus lib.*1. *cap.*9. *Sur.*5. *Aprilis.*

PHILIBERTUS cùm eſſet bonæ indolis adoleſcens, Dagoberto Gallorum Regi commendatus in palatium ejus advocatur, ac inter nobiles conſtituitur. Ubi verò vigeſimum ætatis explevit annum, divina præcepta audiens, apud ſe deliberavit, F Chriſti fieri diſcipulus, facultatibus omnibus derelictis, ſub Aglio primo Abbate Monaſterii Cœnobii Raſbacenſis: ubi in omni religione, & ſanctitate adeò excrevit, ut etiam perfecti viri in eo cernerent, quod meritò imitarentur. A menſa nunquam ſatur abibat; ejus proinde abſtinentiæ antiquus hoſtis invidens, animum ejus pulſavit, ut largioribus epulis indulgeret; volente Deo fraus ejus detecta eſt, nequiſſimo dæmone illi in ſomnis oſtenſo: cùm enim nocte quadam cibo refectus eſſet, improbus ille ventrem ejus palpans: Modò, inquit, hìc benè, modò hìc benè. Tum verò Chriſti miles agnoſcens ignita hoſtis jacula, Cruce ſe conſignat, ſtatuitque repetere priſtinum abſtinendi rigorem, & divinum adverſùs fallacis dæmonis machinas auxilium implorare. Nocturnis horis illo ad Eccleſiam abeunte, tortuoſus coluber tribus modis eum voluit impedire. Prima nocte, ſumpta urſi ſpecie, intra Eccleſiam eum terrere cùm vellet, & alia nocte candelabri ferro confodere niteretur, atque tertia nocte tranſverſim in Eccleſiæ foribus ſtans, eum aditu arcere conaretur, cuncta hæc machinamenta virtute Chriſti Philibertus diſſolvit, Crucis expreſſo ſigno. *D. Anton.* 2. *p. Chron. tit.*13. *cap.*6. *§.*18. *Et Sur. Aug.*20. *cap.*3. G

ORATIO, ET INVOCATIO DIVINI NOMINIS.

Hæc arma CHRISTUS ipſe diſcipulis ſuis, ingruente tentatione, præſcripſit, dicens *Matth.*26. Orate, ne intretis in tentationem.

Et Apoſtolus Paulus, dum ait *Epheſ.*6.13. Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſùs inſidias diaboli, exponens deindè illam armaturam, ſubiicit: Per omnem orationem, & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus Sanctis.

Immò Chriſtus *Matth.*6. hoc remedium intra ipſam orationem Dominicam incluſit; cùm juſſit in ea nos orare. Et ne nos inducas in tentationem. Et libera nos à malo.

Idem omnes Sancti in ſuis tentationibus ſemper uſurparunt, ut Pſaltes Regius paſſim in Pſalmis. Chriſtus Salvator Paſſione impendente. D. Paulus 2. *ad Corinth.* 12.8. cùm ter Domi- H num rogavit, ut à ſtimulo carnis liberaretur: & alibi.

Unde *B. Proſper lib.* 2. *de vocat. Gentium.* Nunquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non ſonare, qua Apoſtolis dicitur. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Ubi ſi de vigilando tantum, non etiam de orando diſcipulos admoneret, ſolas liberi arbitrii vires videretur hortatus. Sed cum addidit, orate, ſatis docuit ſuperni futurum muneris, ut eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret. Sic ille.

S. ANTONIUS, de quo ante; *teſte B. Athanaſio in ejus vita*, dæmonum tentationibus opponebat, quaſi telum, illum verſiculum Pſalmograhi: Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos. Et illum: Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum à facie ejus.

ISAIAS Abbas, *Apud Caſſian. coll.*10. *c.*10. exiſtimat verſum Pſalm.69. quo horas omnes canonicas inchoamus, nempè, Deus, in adiutorium meum intende, Domine, ad adiuvandum me feſtina, eſſe potentiſſimum ad expugnandas omnes tentationes.

tiones. Habet ſiquidem, inquit, adverſus univerſa diſcimina A invocationem Dei, habet humilitatem piæ Confeſſionis, habet ſollicitudinis, ac timoris perpetui vigilantiam, habet conſiderationem fragilitatis ſuæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præſentis, ſemperque aſtantis præſidii. Hic verſiculus omnibus infeſtatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus eſt, & impenetrabilis lorica, ac minutiſſimus clypeus.

Cùm B. Abramius Barbarorum atrocitatem, & furorem diù, multùmque ſuſtinuiſſet; nec ob id alios convertere, & inſtituti ſui gratiam ſervare deterreretur, videns Satanas, qui ab initio honeſtatis, ac virtutis hoſtis fuit, quòd in tantis afflictionibus, quas adversùs eum excitaverat, non valuiſſet virum Dei lædere, neque in ſegnitiem, atque pigritiam eum trahere, neque in aliquo mentem ejus à bono propoſito abducere; at ſicut aurum in fornace, ita ipſe inter preſſuras magis reſplendeſceret, ampliuſque ad multorum ſalutem in patientia, & in Chriſtum charitate, atque alacritate proficeret: vehementer honeſtatis inimicus adversùs beatum Abramium exacerbatus, acriterque efferatus, venit ad eum magno cum phantaſmate; ut ſaltem ſic terrorem ipſi incutiens, facilius fallere, atque decipere eum poſſet. Cùm igitur media nocte B Sanctus ſtaret, ac pſalleret, repentè lux magna in cella ejus refulſit; & vox quaſi multitudinis cujuſdam audita eſt, dicens: Beatus es, domine Abrami, verè, inquam, beatus es: quoniam nullus in cunctis rectè factis inventus eſt ſicut tu; nullusque ita omnes voluntates meas perfecit, ut tu. Subitò autem vir beatus dolum maligni cognoſcens, exaltavit vocem ſuam, & dixit: Tenebræ tuæ tecum ſint in perditionem, ò plenè dolo, atque fallacia: homo enim peccator ſum ego: quia tamen charitatem Dei mei habeo, & ſpem in ipſum, atque auxilium, in nullo ego te, tuaſque inſidias pertimeſco, neque plurima tua phantaſmata, ac ſpectra terrorem mihi incutiunt. Pro muro ſiquidem munitiſſimo, atque tutiſſimo eſt mihi nomen Domini mei, & Salvatoris Jeſu Chriſti, quem dilexi, ac diligo: in quo te nomine increpo, immundiſſime canis, ac miſerabiliſſime. Quæ cùm ipſe diceret, illicò inſtar fumi à conſpectu ejus evanuit. Beatus autem Dei famulus multa cum alacritate tranquillo animo benedicebat Deo, tanquam qui nullum prorſus phantaſma conſpexiſſet. *S. Ephrem Syrus in ejus vita.*

Huc etiam commodè adferri poteſt Saræ Abbatiſſæ The- C baidis victoria, quam Chriſti gratia de carne, ac Satana glorioſè, per humilitatem, & ſpem in Chriſto firmam reportavit. Cùm cogitationes ejus ad libidinem incitare ſoleret diabolicæ malignitatis ſuggeſtio, nunquam, ut redderet tentatio, oraverat, ſed ut illa aſſiduè oppugnaret, & ipſam ſemper vinceret. In hoc carnalis laſciviæ bello per annos tredecim fortiter contendit; ſed tandem, aliquanto acriùs impugnata, quàm ut ſuſtinere poſſet, clamavit ad Dominum Jeſum Chriſtum, & ſuperavit inimicum: ita ut oranti apparens dæmon diceret: Viciſti me. Sara viciſti. At illa nihil ſibi ex hoc laudis vindicans; Non ego, inquit, vici te: ſed Dominus meus Jeſus: Ex quo diſcimus, in omni tentatione, ad Dei gratiam, atque opem confugere; & præ humilitate debita, omnem ei victoriam acceptam ferre: ſic Joab Davidi, expugnata civitate Rabbath: Veni, obſide civitatem, & cape eam: ne nomini meo adſcribatur victoria. *Petr. de Natal. in Catal. SS. l. 11. c. 46.*

INVOCATIO SANCTORUM.

Certè multùm etiam hoc præſidii adfert Sanctorum, cùm Angelorum, tùm aliorum invocatio. In periculis, inquit, de- D votus *Bernardus hom. 3. de B. Virgine*, in anguſtiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca.

Fecit id S. Vincentius Ferrerius ex ordine Dominicanorum. Dum namque circa quartam noctis horam in cella legeret librum, quem edidit Divus Hieronymus de virginitate B. Mariæ, & inter ſuavitatem lectionis ipſam Virginem obſecraret, ut ejus virginitatem cuſtodiret, facta eſt ad eum vox hujuſcemodi. Non omnes poſſumus eſſe virgines, namque tametſi uſque nunc te Virginem appellare potuiſti, non tamen ultrà patiar, ut jam honorato nomine gaudeas. Vir Dei ad hæc verba plurimùm attendens, intrà ſe tacitus volvebat, quid ſibi vellet ſermo, quem audierat. Non enim induci poterat, ut verba illa ex ore B. Mariæ emanaſſe crederet, quippè quæ virginitatis cuſtodes virgo ipſa ſemper amavit, confortavit, adiuvit, magnificavit. Genua igitur flectens ab ipſa virgine petiit, ut quid ſignificare vellent verba illi terrifica, dignaretur oſtendere. Nec multò poſt ei B. Virgo multa cum luce viſibiliter apparuit. Et poſtquam ſui eum oſtenſione confortavit, lætumque reddidit, hoc pacto locuta eſt: Verba illa ad te paulò ante facta diaboli fuerunt, qui tibi proponit bono- E rum operum difficultatem, ut territus ab incepta virtute deſiſtas. Tu autem cautus eſto, & conſtanti animo perſeveres. Et quanquam tibi crebras parabit inſidias, ac frequenter conabitur, ut periclitetur virginitas tua, utque cæteræ virtutes, quæ in te ſunt, corruant, tamen ne diffidas, ſpera ſemper in Domino, quoniam ipſe erit clypeus tuus, quo non ſolùm arma diaboli poteris facilè contemnere, ſed & ipſum, cunctaſque artes, & verſutias ejus magno animo ſuperabis. Hæc ubi à Virgine glorioſa dicta ſunt, ei à Vincentio gratiæ referuntur, & illa diſparuit. Ex quo tempore tantùm fervoris Chriſti militi acceſſit, ut non terreſtris homo, ſed cœleſtis Angelus eſſe videretur.

FORTITUDO IN IIS TOLERANDIS.

Neminem niſi ignavum, & timidum, ac Dei auxilio parum fidentem opprimit Diabolus. Ita namque S. Antonius in hoc genere exercitatiſſimus non docuit. Si quod, inquit, in pectoribus noſtris malæ mentis, & pavoris ſemen invenerit, dæmones mox quaſi latrones, qui deſerta obtinent loca, cœptos cumulant timores, & crudeliter imminentes infelicem F vexant animam. Sin autem alacres fuerimus in Domino, & futurorum bonorum nos cupido ſuccenderit, ſi ſemper omnia manibus Dei committimus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere. *S. Athanaſ. in ejus vita.*

Si quis autem requirat exempla fortitudinis in variis tentationibus; ea habes ex Solis Scripturis valdè illuſtria, ut Job, Abrahæ, Joſeph, Davidis, Eliæ, Danielis, Machabæorum, Pauli Apoſtoli, &c.

Unum commemorabo S. Antonii, cui poſt dura, diuturnaque cum dæmonibus truculentiſſimis certamina (à quibus ad mortem uſque multiplicibus plagis confectus erat) tandem lucidiſſimus quidam de cœlo radius illuxit, in ſignum fugatæ turbæ dæmonum, & præſentiæ Chriſti, ac mox ex imo pectore longa trahens ſuſpiria, his verbis compellavit Chriſtum. Domine Jeſu, ubi quæſo eras, cùm tamen immanes plagas corpore meo exciperem? Qui reſpondit. Eram præſens, ò Antoni, & certamen, quod excelſo, invictoque animo geſſiſti, ſpectabam. Nunc autem, qui tanta conſtantia pro mei nominis amore decertaſti, ego viciſſim nomen tuum toto orbe G celeberrimum reddam. *B. Athanaſ. in ejus vita.*

Itaque conſtanter reſiſtendum nobis eſt. At expugnata una tentatione, ne te ab alia ſecurum putes. Hoc enim ingenium dæmonis eſt, ut liquet ex tentationibus Chriſti, ut una diſcuſſa, comparet ſe ad aliam: Dormitantes nos, inquit *S. Chryſoſtomus homil. 14. ad pop.* expergefacere ſolet, & religioſiores facere tentationum natura. Cùm igitur videris dilecte, tentationem nunc quidem extinctam, rurſum autem accenſum, ne concidas, ne refugias: ſed bonam ſpem teneamus, illud intra nos ratiocinantes, quòd Deus non adverſatus nos inimicorum manibus tradit, ſed ſtudioſiores, & ſibi magis familiares facere volens.

His jungenda de Martiniano olim viro ſanctiſſimo hiſtoria. Is florente ætate, cùm in eremum non ita procul Cæſarea Palæſtinæ ſeceſſiſſet, tentatus eſt à muliere quadam perdita. Quæ cum primùm miſerabilem mendicitatis habitum, quò neceſſitatis obtentu admitteretur, ſibi ſumpſiſſet; deinde admiſſa, occultæ formæ venuſtatem ſplendore veſtium exornaſſet; tanta verborum blanditia obrepſit adoleſcentis animo, ut jam flagitium non recuſaret, feciſſetque, ni ſubitò divina illum gratia reſpexiſſet. Itaque reverſus ad ſe, cùm acerbiſſimum de cogitato facinore dolorem concepiſſet; adſtante, atque adſpe- H ctante muliere, raptim in media caſa ſarmentitiam excitat flammam. Tum nudis pedibus ſemel, iterùmque ſaltu ſe in ignem dat; uſque eo, dum doloris acerbitas ambuſtum illum, nec jam pedibus conſiſtentem humo affligeret. Septem ipſos deinde menſes (tam diù enim corpus è plagis ægrum eidem loco illum affixit) tantùm habuit ex hac victoria gaudii, quantum mulieri primùm admirationis, deinde pudoris attulerat. Nam & ipſa mox divino Spiritu ad dolorem permota, in Monaſterio Bethleemitico; quò illam vir ſanctus mittebat, admirabili pœnitentiæ ſeveritate prioris vitæ turpitudinem ad felicem uſque mortem in ſe vindicavit. *Ex Simeone Metaph. Sur. 13. Febr.*

Circa annum Domini 1200. tempore Innocentii Papæ III. vixit vir magnæ ſanctitatis, nomine Joannes Bonus, civitate Mantua oriundus. Eum in eremo viventem luxuriæ inquinamento impugnare cœpit adverſarius mulieris formam ei obiiciendo, quam aliquando conſpexerat. Cùm autem ſic vehementiùs incenderetur, doloris incendio carnis extinxit incen- A dium: nam accipiens arundinem, & in multas partes acutiſſimas dividens, eas ſub unguibus poſuit, elevanſque manus ſuper lapidem ita percuſſit, ut ad extremam digitorum partem penetrarent. Unde præ nimio dolore in terram lapſus tribus diebus, ac noctibus ſemivivus permanſit. Non deſeruit ſervum ſuum pius Dominus, pro quo ne tantò cruciatu offenderetur, ſe dedit: in ſomnis enim apparens dixit; quia benè cœpiſti, benè perſeverabis; & optimè tuam conſummabis vitam. Quia verò ita viriliter contra tentationes dimicaſti, de cætero non tentaberis. Qui ſtatim excitatus ſanum ſe conſpiciens gratias retulit Salvatori. *D. Anton. 3. p. hiſt. tit. 24. cap. 13.*

FIDUCIA IN DEO.

Sine hac neque oratio, neque fortitudo quidquam poteſt, In ſilentio, & ſpe, inquit *Iſaias cap. 30.* erit fortitudo veſtra. Et David. *Pſalm.* 25. In Domino ſperans non infirmabor. *Pſal. 26.* Si exurgat adversùm me prælium, in Domino ſperabo.

Et Apoſtolus *Hebr. 6.* Fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem.

Unde *S. Hieronym. ep. 22. de cuſtod. virg. ad Euſtoch.* Quod ſi dæmonum te multitudo turbaverit, & ad ſingula incita- B menta vitiorum cœperis æſtuare, & dixerit tibi cogitatio tua. Quid faciemus? reſpondebit tibi Eliſæus. Noli timere, quia plures nobiſcum ſunt, quàm cùm illis, & orabit, & dicet. Domine, aperi oculos puellæ tuæ, ut videat: & apertis oculis videbis igneum currum, qui te ad exemplum Eliæ in aſtra ſuſtollat, & tunc læta cantabis. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.

Roborari autem poteſt fiducia mirum in modum in tentatione. Primò, ſi cogites, quòd ut nauclerum tempeſtas, athletam ſtadium, ducem pugna, ita Chriſtianum tentatio probet, an conſtans ſit, ut fiduciam habeat in Deo, ita *S. Baſilius hom. 8. in avaros.*

Secundò, ſi cogites dæmonem nihil poſſe, niſi ei permittatur, ut liquet ex eo, quod refertur *Luc.* 8. 32. eos ne porcos quidem, niſi annuente Chriſto, ingredi potuiſſe.

Tertiò, ſi cogites, nec Deum pati, ut gravius hominem tentet, quàm ferre queat. Non patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus. 1. *Cor.* 10. 13.

Quartò, & ex mandato divino Angelos nobis pugnantibus adeſſe ſi cogites. Angelis enim ſuis mandavit de te, ut cuſto- C diant te in omnibus viis tuis.

Quintò, quia interno ſolatio non deſtituit afflictos. Conſolatur enim nos in omni tribulatione noſtra, quod omnibus armis fortius eſſe docet. *Chryſoſt. hom. 1. in 2. ep. ad Corinth.*

Sextò, Deus ipſe adeſt nobis in tribulatione, ſicut erat cum S. Antonio. Cùm ipſo ſum, inquit, in tribulatione, *Pſ.* 90. 18.

Septimò, ſi cogites, te gratia Dei munitum longè eſſe fortiorem dæmone, ut docet *B. Greg. l. 34. mor.* 8. dæmonem non antè homini prævalere, quàm bonis cogitationibus eum exuerit, ut tradit S. Anton. *apud Caſſian. coll.* 8. Hoc autem facere ipſe, aut reſciſcere non poteſt, niſi nos ipſos externis geſtibus prodamus.

Octavò, eundem dæmonem intrare quidem mentes juſtorum poſſe, tamen in eis non poſſe morari, *teſte eodem Greg. 27. moral. cap.* 17. Nam licèt illicita ſuggerere poſſit, prævalere tamen non poteſt. Immò *Chryſoſt. hom.* 22. *in epiſt. ad Epheſios*, ſcribit, nos ne quidem ad luctam cum dæmone cogi, niſi ex noſtra ſocordia.

OCCASIONIS FUGA.

Fugiendæ occaſionis præclarum exemplum eſt Joseph Patriarcha, qui cùm ab hera Putiphare ad turpitudinem alli- D ceretur, fuga, relicto in ejus manibus pallio, tentationem fortiter repulit, & vicit. *Geneſ. cap. 39.*

Ideò, inquit *B. Chryſ. hom. 13. in Matth.* oramus, ne intremus in tentationem, quia eas quærere non debemus.

Appoſitè *Senec. ep.* 117. *ad Lucilium*. Quantum poſſumus, à lubrico recedamus, in ſicco quoque parùm firmiter ſtamus.

Illuſtre exemplum hujus antidoti refert *Caſſian. lib. 5. c. 32.* de Eremita, qui miſſum ad ſe ex patria faſciculum litterarum, ne reſignare quidem voluit, ſed in ignem conjecit dicens: Ite cogitationes patriæ pariter concremamini, nec me ulteriùs ad illa, quæ fugi, revocare tentetis.

Idem fecit B. P. Ignatius Societatis Jeſu fundator, *teſte Ribadeneira in ejus vita lib. 5. cap. 1.*

Josaphat adoleſcentem Avennir Regis Indiæ filium prudenter ad fidem adduxerat S. Eremita Barlaam, homo doctrina, & ſanctitate admirabili: jamque illum ſacra unda ablutum in Chriſtianos retulerat, & de vita Chriſtiani inſtituerat; cùm & ſuo, & adoleſcentis periculo coactus eſt diſcedere, relicto adoleſcente inter medios idololatras, in palatio parentis diis E falſis mirè dediti, ut qui non niſi cum Magis, & Necromantis conſilia de religione iniret; prorſus ut ipſius caſtitas in magno diſcrimine verſaretur. Poſt diſceſſum igitur Barlaam, pater filii mentem ad idololatriam reducere conatur; initio blanditiis, tùm minis: ubi autem videt omnia incaſſùm fieri, conſilium init cum ſuis Magis. Ex his unus ſuadet, ut remoto conſueto miniſterio, omnique alia familia, ſolæ ad miniſtrandum ei mitterentur puellæ, ſpecie, ornatu, & moribus ad amorem excitandum factæ. Dubium non eſſe, quin ab his animus adoleſcentis in quamcùmque vellet partem inclinari, & flecti poſſit. Dum hoc conſilium procedit, & mulieres ad eum miſſæ illi aſſident, amplexantur, adblandiuntur; ecce tibi alterum periculum: Magus ille, impuriſſimi conſilii auctor, unum ex nequiſſimis ſpiritibus, ut pollicitus erat, magicis carminibus cogit tentare adoleſcentem. Is conjunctis viribus, cùm præſentibus fœminarum illecebris, tantùm libidinis incendium in pectore adoleſcentis accendit, ut ille periculum perſentiſcens, cùm cogitationes de ſua in Deum fide, de debita illi obedientia, de præmiis cœleſtibus, de inferorum pœnis, menti nequicquam objectaret; ad extremum nullum præſen- F tius remedium invenerit, quàm ut ſe daret in preces. Ergo confugiens ad Deum in has voces erupit: Domine Deus omnipotens, qui ſolus potens es, & miſericors, Domine, inquam, ſpes deſperatorum, & carentium adiutorio, mei quæſo, ſervi tui inutilis in præſentia recordare, & benigno, ac propitio vultu me reſpice, nec me in hoſtium meorum manum incidere permittas: non ſupergaudeant mihi, qui oderunt me iniquè, nec me in iniquitatibus corrumpi ſinas, corpuſque meum, quod tibi caſtum exhibere promitto, probro, & contumelia afficere: Te enim concupiſco, te adoro, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum in ſæcula Amen. Cùm dixiſſet Amen, ſtatim adfuit divina conſolatio, cujus lumine omnium turpium cogitationum nebula evanuit. Ipſe verò ab eo tempore (inclinabat jam dies) ad ſolem uſque orientem in precibus perſtitit. *Joan. Damaſcenus de vita ejus, cap. 30.*

S. Edmundus adhuc adoleſcens carnis fœdas voluptates, & delicias non modò fugiebat, ſed & prorſus horrebat, & abominatus erat: & cùm virtutum omnium valdè ſtudioſus eſſet, caſtitati tamen ſingularem navavit operam, ſciens illud Sapientiæ, incorruptionem hominem Deo proximum G facere: cùm autem dæmon cerneret eum ſic caſtitati ſtudere, magis etiam pectoris ejus tranquillitatem perturbare nitebatur. Itaque puellam quandam, hoſpitæ ejus filiam, illius amore inflammavit, ita ut illa impudicis in eum conjectis oculis, itemque ſignis, & nutibus eum ad turpem concubitum provocare conaretur. Sed cùm hac ratione nihil proficeret, apertis cum eo verbis cœpit agere, & multis modis ad nefarios amplexus invitare. Ille verò haud ſecùs, atque peſtem quandam illam fugiens, ſæpè objurgabat, & verbis caſtigabat eam. Sed cùm neque ſic vellet ab illo improbo conatu revocare ſeſe, ſed pergeret eſſe importuna, tandem apud ſe deliberans, qua illa poſſet via reduci ad ſanitatem, tempus ei certum præfigit, ad quod adeſſe debeat. Illa ſe ſperans voti compotem fore, ſtatuto tempore confidenter venit. Poſtquam autem ad eum ingreſſa eſt, & illo jubente ſuperioribus veſtibus nudata, apprehenſam virgis egregiè in tergo verberavit, ut ſtultitiam, quæ erat colligata in corde ejus, virga diſciplinæ fugaret. Tum illa tam malè, & duriter accepta, fugit eum, quem anteà tàm perditè erat perſecuta: tantùmque apud eam illi virgarum ictus profecerunt, ut quemadmodum ipſa poſteà faſſa H eſt, deinceps nunquam ejuſmodi tentatione pulſata ſit. Cernens autem impuriſſimus dæmon ſe tam aperta mali ſpecie eum evertere non poſſe, per Matronam quandam ſatis, ut videbatur, honeſtam, eum in turpitudinis foveam pertrahere conatus eſt. Ea enim ſub officii prætextu quædam ei munera obtulit, ut iis eum illiceret, & emolliret ad conſentiendum ſuæ malæ voluntati. Quod cùm ille animadverteret, perquiſivit ex ea, num conſcio marito ſuo his ipſum muneribus afficeret. Reſpondit illa: Nihil hujus novit vir meus, quem nolim ſcire hunc me tibi peramanter habere honorem. Tum vir ſanctus: Ego verò, inquit, neſciente maritò tuo dona tua non recipiam. Abiit illa cum muneribus ſuis, voto ſuo fruſtrata: & vir Dei ab ejus infeſtationibus liberatus eſt. *in vita cap. 8. apud Sur. 16. Novem.*

Simile prorſus eſt, quod de Bernardino Senenſi legitur: Amabat ille ſummoperè corporis caſtimoniam, & integritatem, id quod inſano livore ſerpens tortuoſos ferre non potuit.

Erant

Erant autem Senis duo honeſti coniuges, qui illum mirè dilige- A bant. Senſit hoc Tartareus impoſtor, & alterius, id eſt, fœminæ amorem corrupit, ut ſanctum virum libidinoſè diligeret. Ait enim S. Bernardinus, nullum in hac vita reperiri, etiamſi eximia ſit ſanctitate, & perfectione, cui non impuræ quædam cogitationes incidant: ſed noſtri arbitrii eſt, vel reſpuere, vel aſſentiri. Cùm ergo Bernardinus quandoque panis emendi cauſa exiiſſet, fœmina hæc illum ad ſe accerſivit: eoque ingreſſo fores clauſit, & ait: Niſi te accommodes jam voluntati meæ, quidem inſigni te ignominia afficiam, dicamque te mihi vim afferre voluiſſe. Tum Bernardin in eas ſe anguſtias conjectum cernens, tota animi devotione intra ſe rogabat Dominum, ut in tam præſenti periculo ipſi non deeſſet. Facinus enim illud valdè execrabatur. Non neglexit Deus preces ſervi ſui: ſuggeſſit mox conſilium, ut diceret mulieri, ſi vellet ita fieri, ut ſe veſtibus nudaret. Dixit hoc ille, nec mulier diſtulit. Interim profert ille flagellum, quod apud ſe habebat, apprehenſamque fortiter fœminam egregiè cædere cœpit, nec deſtitit, donec ardor libidinis in ea extinctus eſt. Ea cauſa impenſius mulier deinceps amavit ſanctum virum, itemque maritus ejus, ubi is comperit rem ab eo geſtam. *Sur. in vit. ejus c. 23. Maii 29.*

B D. Bernardo, Eleganti corpore adoleſcenti, & jam ſæculum ingredienti, plures ſe viæ ſæculi ipſius offerre cœperunt, & omnes aſſurgere proſperitates vitæ hujus, & magnæ ſpes undique arridere. Obſidebant autem benignum juvenis animum ſodalium diſſimiles mores, & amicitiæ procelloſæ, ſimilem ſibi facere geſtientes: quæ ſi ei dulceſcere perſtitiſſent, neceſſe erat amareſcere illi, quod in hac vita dulcius cordi ejus inſederat, caſtitatis amorem. Cui præcipuè invidens tortuoſus coluber, ſpargebat laqueos tentationum, ac variis occurſibus calcaneo ejus inſidiabatur. Unde cùm aliquando matrona quædam pulchritudine, divitiis, cultu, & aliis hujuſmodi irritamentis concupiſcentiæ, & peccati præcellens, in ſecretiori domus cubiculo eum aggreſſa pertraheret ad peccatum, ille eam lenibus verbis demulcens, donec è manibus ejus, & amplexibus elaberetur, fugit, & evaſit, & in medio ignis non eſt æſtuatus. Altera autem vice, cùm curioſius aſpiciendo defixos in quandam oculos aliquandiù tenuiſſet, continuò ad ſe reverſus, & de ſemetipſo erubeſcens apud ſemetipſum, in ſeipſum ultor ſeveriſſimus exarſit. Stagno ſiquidem gelidarum, quod in proximo erat, collo tenus inſiliens, tandiù ibi permanſit, donec penè exanguis effe- C ctus, per virtutem gratiæ cooperantis, etiam à calore carnalis concupiſcentiæ totus refriguit, inducens illum caſtitatis affectum, quem induerat, qui dicebat: Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. *Guill. Abb. S. Theod. lib. 1. de vita S. Bern. c. 3. D. Antonin. 2. p. hiſt. tit. 17. c. 5. & alii.*

Contigit aliquando, ut cum ſociis aliquot apud Matronam aliquam Bernardus hoſpitaretur. Conſiderans autem mulier adoleſcentem decorum aſpectu, capta eſt laqueo oculorum ſuorum, & in concupiſcentiam ejus exarſit. Cùmque tanquam honoratiori omnium ſeorſum feciſſet ei lectulum præparari, ſurgens ipſa de nocte impudenter acceſſit ad eum. Quam Bernardus ſentiens, nec conſilii inops, clamare cœpit: Latrones, latrones. Ad quam vocem fugit mulier, familia omnis exurgit, lucerna accenditur, latro quæritur, ſed minimè invenitur. Ad lectulos ſinguli redeunt, & fit ſilentium, fiunt tenebræ ſicut prius; pauſant cæteri, ſed non illa miſera requieſcit. Exurgit denuò, & Bernardi lectulum petit: ſed denuò ille proclamat: Latrones, latrones. Quæritur iterùm latro, latet iterùm, nec ab eo, qui ſolus noverat, publicatur. Uſque tertiò improba mulier ſic repulſa, vix tandem, ſive metu, ſive deſperatione victa D ceſſavit. Cùm autem die ſequenti iter agerent, arguentes Bernardum ſocii, curnam toties una voce latrones ſomniaverit, perquirebant. Quibus ille: Veraciter, inquit, latro aderat: quia quod mihi pretioſius eſt in hac vita, caſtitatem videlicet, hoſpita nitebatur mihi auferre, incomparabilem utique Theſaurum. *Guill. Abb. S. Theod. l. 1. de vita S. Bern. c. 3.*

REFUGIUM AD PATREM SPIRITUALEM, SEU SUPERIOREM.

Ignatius Lojola cœpit anno noſtræ ſalutis 1524. grandis jam natu (annum enim agebat 33.) ſtudia non ætati, ſed ſpiritui ſuo convenientia exercere, primaque grammatices rudimenta devorare. Sed cùm neque exilium, ſpinoſarumque rerum ſubtilitas, neque inuſitati ſtudii labor ulla ejus animum moleſtia afficeret: perturbabat tamen illuſtrationum, quas inter ea ipſa ſtudia percipiebat, tùm magnitudo, tùm crebritas. Nam cùm nominum, & verborum memoriæ mandare inflexiones vellet, tãto ſplendore animus illuſtrabatur ad res divinas intelligendas ut novi ediſcere nihil poſſet: & ſi quid anteà eſſet memoriæ traditum, id totum facilè efflueret. Neque omni ſtudio, animique E contentione poterat, aut arcere appropinquantes, aut ingreſſas hujuſmodi cogitationes abigere. Cujus rei novitate perculſus. Quid hoc, inquit, rei? cùm oramus, cùm confitemur, & ſuperſubſtantialem panem accipimus, cùm vigilamus, cùm nos verberibus cædimus, cùm ſpiritualia omnia, ac divina munera obimus, neque tam frequentes, neque tam magnæ, neque tam vehementes ſe nobis illuſtrationes offerunt: cùm puerilia agimus, & de Deo propter Deum non cogitamus, tùm ſpecioſæ noſtræ menti imagines, & cœleſtes illuſtrationes occurrunt. Agnoſco, agnoſco importuniſſimi hoſtis calliditatem: agnoſco veteratoris dolos, & aſtutiam. Cujus conatibus ut occurreret, & conſilium diaboli ſe à ſtudiis malitioſè avocantis eluderet, præceptorem ſuum, in templum, cui ſanctæ Mariæ à mari cognomen eſt, ut veniat, rogat. Illi dæmonis tentamenta narrat: ſuam in duos proximos annos aſſiduitatem pollicetur, ſe à lectionibus non abfuturum (panis modo ſibi, & aqua ad victum ſuppetat) fidem ſuam obſtringit. Et ſimul ſeſe ad pedes abiicit, ab eo etiam, atque etiam petit, ut ſe pro puero habeat, verberibus graviter accipiat, ſicubi minùs attentum, aut diligentem eſſe deprehenderit: atque hac tam vehementi ejus animi con- F tentione diaboli fraus repulſa eſt, & pax tum illi divinitus reddita. Eidem præterea Philoſophiæ curriculum ingredienti, eadem illi impedimenta ex cogitationum ſpiritualium importuna copia intulit, quæ Barcinone objecerat in rudimentis Grãmatices verſanti. Sed fallaces illas imagines facilè depulit, & callidi hoſtis impetum, & eadem ratione, qua ſuperiorem illum, refutavit, ac fregit. *Ribadeneira lib. 1. vitæ ejus c. 13.*

Id hoc exemplo confirmat Joan. Climacus. Monachus quidam ſtudioſus, cùm à dæmone perturbaretur cogitatione blaſphemiæ ad viginti annos, carnem ſuam jejuniis, & vigiliis macerare non deſtitit; cùm verò inde nullam utilitatem ſe cepiſſe ſentiret, profectus conſcriptam in charta perturbationem, ac tentationem ſuam ſancto cuidam, ac probatiſſimo ſeni obtulit in faciem proſtratus, nec illum intueri valens. Ut autem legit ſenior, ſubriſit, fratremque erigens, dixit: Pone, fili manum tuam ſuper oculum meum. Quod cùm feciſſet, ait illi ſenior. Super collum meum ſit, frater, hoc peccatum quotquot annis te oppugnarit, vel oppugnaturum ſit. Tu autem id obſerva, ut hoc jam floccipendas, & nihil æſtimes. Quibus verbis ita roboratus eſt frater, ut non antè cella ſenis ex- G cederet, quàm hujuſmodi morbus evaneſceret. Hoc autem is, qui expertus eſt, mihi poſteà enarravit, Deo gratias referens. *Jo. Clim. grad. 23.*

* TENTATIONUM VARII FRUCTUS, ET COMMODA.

Primum eſt, quod iis reddamur doctiores. *Auguſtinus in Pſalm. 36. conc. de par. 1.* Unuſquiſque ſe tentatione tanquam interrogatus agnoſcit, ſicut Petrus, quas vires haberet fides ejus, utique neſciebat, quando dixit Domino. Tecum paratus uſque ad mortem. Dominus autem, qui noverat eum, prædixit, ubi deficeret, prænuncians illi infirmitatem ejus tanquam tacta vena cordis ejus. Proinde Petrus, qui ante tentationem præſumpſit de ſe, in tentatione didicit ſe.

II. Quod reddant nos humiliores. Sic enim ait *Chryſoſtom. hom. 1. ad populum Antiochenum:* Quoniam ſancti, & admirabiles Paulus, & Petrus, & omnes quicunque tales qualeſcunque ſunt, tamen homines ſunt: & multæ cautionis, ne facilè extollantur, indigent, & maximè omnium ſancti (nihil enim H ſic in arrogantiam extollere conſuevit, uti officiorum conſcientia, & anima cũ libertate vivens.) Ne quid igitur tale illi patiantur, tentationes, & tribulationes eſſe conceſſit, quæ poſſent ipſos corripere, & perſuadere, ut in omnibus moderatè agerent.

III. Quòd augeant in nobis meritum gratiæ, & vitæ æternæ. Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. *Jac. 1. 12.* Et v. 1. Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis: ſcientes, quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habeat.

S. Ambroſius l. 4. cap. 4. in Lucam. Non timeamus, inquit, tentationes, ſed magis gloriemur in tentationibus, dicentes. Quando infirmamur, tunc potentes ſumus: quia tunc enim nectitur corona juſtitiæ, &c. Ergo cum vult coronare, tentationes ſuggerit. Et ſi quando tentaris, cognoſce, quia paratur corona. Nonne tentatio Joseph virtutis eſt conſecratio? nonne injuria carceris corona eſt caſtitatis? Hæc ille.

Cùm

Cùm eſſem (inquit, Athanaſius Abbas) in Monaſterio Pen- A thucula, Presbyter quidam erat ad Baptiſmi miniſterium, Conon nomine, Alexandrinus genere, quem pro vitæ merito Patres juſſerant, ut baptizaret accedentes. Ipſe igitur S. Chriſmate ungebat, & baptizabat eos, qui ad hoc veniebant. Quoties ergo mulierem inungeret, ſcandalizabatur, atque ideò ex Monaſterio abſcedere volebat. Cùm autem ea cogitatione pulſabatur, aſſiſtebat ei S. Joannes Baptiſta dicens: Tolera, & perſevera, & ego te ab hoc bello liberabo. Quadam verò die venit puella ex Perſide, ut baptizaretur, quæ ita ſpecioſa erat, ac tantæ pulchritudinis, ut non poſſet Presbyter nudam eam ſancto Oleo inungere. Cùm ſic verè puella illic manſiſſet duos dies, audiens hoc Archiepiſc. Petrus obſtupuit de ſene vehementer, voluitq; ad hoc opus delegare Diaconiſſam mulierem; ſed id non fecit, ne contra Canones feciſſe videretur. Conon verò Presbyter, ſumpto melote ſuo, receſſit, dicens: Jam non ampliùs in hoc loco manebo. Cùm ergo exiiſſet ad colles, ecce S. Joan. Bapt. obvius illi factus eſt, & tranquilla voce affatus eſt illum, dicens; Revertere ad Monaſterium tuum, & hoc te bello levabo. Abbas verò Conon ait illi, cum indignatione: Verè non revertar. Ecce enim jam toties pollicitus es mihi iſtud, nec feciſti. Tunc S. Joannes eum ſedere fecit, amotiſque veſtimentis ejus ſignavit eum ter ſigno Crucis ſub umbilico, dixitque ei: Crede B mihi, Presbyter Conon, volebam te pro hac pugna mercede donari: ſed quia non vis, ecce abſtuli à te hoc bellum: Mercede autem hujus operis carebis. Reverſus Presbyter in cœnobium, ut baptizare conſueverat, in craſtinum unctam puellam baptizavit, neque penitus animadvertit eam eſſe mulierem. *Sophron. in Prat. ſpirit. c. 3.*

IV. Quod ex iis cognoſcamus Deo nos curæ eſſe, ab eoque diligi, & amari. Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. *Hebr. 12. 6.*

Unde Angelus ad Tobiam: Ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te. *Tob. 12. 13.*

Chryſoſt. hom. 32. in Geneſim. Ne exiſtimemus eſſe ſignum, quod nos dereliquerit, & deſpiciat Dominus, ſi tentationes nobis inferantur. Sed hoc maximum ſit nobis indicium, quod Deus noſtri curam gerat. Nam & ſi habemus peccatorum ſarcinas, quæ nos premant, poterimus magnam patientiam, & gratitudinem declarando, leviores eas facere, & ſi non multa habeamus peccata, iterùm majori fruemur gratia, ſi grato animo C tulerimus.

Tepiditas.

SPIRITUALIS.

Definitio, & Etymologia.

TEpor, ſive Tepiditas eſt, media quædam qualitas inter calorem, & frigus. Unde per translationem ſumitur pro puſillanimitate, negligentia, & torpore circa res ſpirituales: ſic ut hominem non ſinat iis incumbere, aut animum attendere, ſed quæcunque ſe offerunt, contemnit, & nauſeabundus mille difficultates ſibi imaginatur. Mores tepidorum eleganter depingunt *Joan. Caſſianus l. 10. Inſtit. Monaſt. c. 1. 2. 3. 4. S. Bern. ſerm. de Aſcenſ. Dom. 63.* & ex illis *Bernardinus Roſignolius l. 2. c. 19. de perfect. diſcip. Chriſt.* ex quo ſequentia indicia deſumuntur.

INDICIA TEPIDITATIS SPIRITUALIS.

Hominis circa rerum ſpiritualium amorem Tepidi, ſive mavis frigidi indicia hæc numerantur.

D I. Orare ſine attentione, & fervore ſpiritus.

II. Meditari res divinas ſine animi ſenſu, affectu, fructu.

III. Difficulter ſe expedire ab hominum frequenti, nec utili congreſſione, & colloquio.

IV. Ægrè redire ad ſeipſum, & nunquam, aut raro admodum in cor ſuum diſſipatum animum cogere.

V. Examinare conſcientiam, & ſeipſum inſpicere quaſi per tranſennam, & ſtrictim abſque compunctione, propoſito & emendatione.

VI. Latè, libenterque ſe diffundere in omnes res exteriores, non hominum ſalutis procurandæ, ſed tædii ſui mitigandi cauſa.

VII Conſolari ſe, quæſitis ſolatiis ex rebus creatis, aut ex cogitationibus inanibus.

VIII. Liberè de aliis loqui, & eadem libertate aliorum facta, dictave obſervare, & reprehendere.

IX. Graviter ferre diſciplinam religioſam, ſi religioſus ſis, & omnem admonitionem aut correctionem, quæ olim jucundiſſima fuiſſet, inſuavem, intempeſtivam, intolerabilem exi- E ſtimare.

X. Ad otioſam vitam aſpirare, & ſubterfugere labores ad animarum ſalutem fructuoſos, & neceſſarios: permittereque, ut earundem zelus omnino langueſcat: quæ gravis eſt culpa iis, quibus animarum cura aliqua commiſſa eſt.

XI. Obedire majoribus, patribus ſpiritualibus, aut etiam legibus quibus tenetur, ſine ulla animi conſolatione, immò cum faſtidio, lentè, frigidè, invitè.

XII. Optare ſibi ab hominibus honorem haberi, & ab illis ſe multum amari, hominum blanditiis, & fortè etiam aſſentationibus delectati.

XIII. Exiſtimare vacationem laborũ ſuis meritis jam deberi, & immunitatem, qua careant alii, dandam ſibi. Et ſi hæc fortè alicui minima videantur, illa abſque dubio majora ſunt, videlicet,

XIV. Frigere jam Sacramentorum uſum, nec ea ampliùs frequentare, ut inceperas.

XV. Sacras Conciones non audire: ſpirituales, & utiles libros non evolvere, vel certè raro, & faſtidioſiùs.

XVI. Occaſiones peccatorum minimè vitare, ut anteà, idcircò quia tibi multum, tuiſque viribus fidis, quæ temeritas eſt maxima, atque occultior ſuperbia, ita enim tepidus imprudens provehitur in altum mundanorum fluctuum; fitque, quò minus F ſecum reputat, eò magis periculo propior.

XVII Indulgere tibi, tuoque corpori deſervire, & paulatim quidquid ſalutari pœnitentia aſtrinxeras, relaxare moliori vivendi ratione.

XVIII. Memoria replicare priſtinos mores, & mundanorum hominum felicitatem, eoque mentis cæcitate induci, ut mundi voluptates, & deliciæ, quæ priùs ſomnia, ludibriaque, uti ſunt, videbantur, non diſpliceant, ut anteà, & arridere incipiant potiùs, ac præclara quædam bona videantur.

XIX. Divinos inſtinctus, quibus ad ſeveritatem vitæ, & Chriſtianam diſciplinam ſubinde excitaris, & impelleris, vel non advertere, vel diſſimulare, & in aliud tempus differre, vel quod deterrimum tepiditatis genus eſt, negligere.

XX. Spiritualibus Patribus non auſcultare, uti conſueveras, & quanquam eorum conſilia præſens bona cenſeas, & probes, abſentem facto ab eis diſcrepare, clam te ſubtrahere, & ab eorum magiſterio, curaque refugere.

TEPIDITATIS PERICULA. G

Tria tepiditatis pericula obſervant, & expendenda proponunt SS. Patres. Primum eſt, faciendi præteritorum meritorum jacturam, ut monet *B. Greg. 3. p. c. 35. in Paſtorali.*

Admonendi ſunt, inquit, qui inchoata bona minimè conſummant, ut cauta circumſpectione conſiderent, quia dum propoſita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta convellunt. Si enim quod videtur gerendum, ſollicita intentione non creſcit, etiam quod fuerat benè geſtum, decreſcit. In hoc quippe mundo humana anima quaſi mare navis eſt, contra ictum fluminis condeſcendentis, quæ uno loco nequaquam ſtare permittitur, quia ad ima relabitur, niſi ad ſumma conetur.

Alterum eſt, dandi occaſionem graviori ruinæ. Qui enim in virtute progredi non vult, quaſi januam occludit inſpirationi divinæ, ac proinde exponit ſe periculo ne abiiciatur, vel evomatur, ut loquitur Apocalypſis, à Deo.

Idipſum benè notavit *Caſſian. col. 6. c. 17.* Lapſus quiſpiam inquiens, nequaquam ſubitanea ruina corruiſſe credendus eſt, ſed aut pravæ inſtitutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, & per hoc ſenſim vitiis increſcentibus caſu miſerabili concidiſſe. Ante contritionem enim præcedit ruina, & ante ruinam mala cogitatio: quem- H admodũ domus nuſquam ſubitaneo ad ruinam procumbit impulſu, niſi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantium deſidia ſtillicidiis primùm parviſſimis penetrantibus corrupta ſenſim fuerint munimenta tectorum.

Tertium periculum eſt, nunquam emergendi ex gurgite tepiditatis. Unde *Greg. loco citato.* Sicut ante teporem frigus ſub ſpe eſt, ita poſt frigus tepor in deſperatione. Qui enim adhuc in peccatis eſt, converſionis fiduciam non amittit. Qui verò poſt converſionem tepuit, & ſpem, quæ eſſe potuit, de peccatore ſubtraxit.

Fuſiùs tamen *Caſſian. coll. 4. c. 19.* Qui ſemel tepido exorſus initio Monachi cœpit abuti vocabulo, nec tamen humilitate, ac fervore, quo debuit, inter hujus profeſſionis arripuit, infectus ſemel hac miſerabili lue, & in ea quoadmmodo reſolutus, nec ex ſe ulterius perfecta ſapere, nec alterius poterit

monitis